7
3-c
12

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 M H
2

7.- 3 · c . 12 .

PAVLI AEMILII SANCTORII CASERTANI.

Hiſtoria MONASTERII Carbonenſis ORDINIS SANCTI BASILII.

Superiorum permiſſu.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Apud Gullielmum Faciottum, M. D C I.

Nomina Archimandritarum,& Commendatariorum, quæ hactenus reperiri potuerunt Venerabilis Monaſterij Sanctiſsimæ Genitricis, S. Anaſtaſij, & S. Eliæ Prophetæ de Carbono, Ord. S.Baſilij Magni.

Sanctus Magnus Lucas cognomento Carboni Magni Sabæ diſcipulus, & ſocius.
B. Blaſius.
Menas.
Stephanus cognomento Theodolus.
B. Lucas.
B. Blaſius.
Lucas.
Clemens.
S. Nilus de Roſſano.
S. Bartholomæus de Roſſano.
Climus.
B. Nilus.
Blaſius.
Lucas Religioſus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

B.Bartholomæus.
Hilarius.
Bartholomæus.
Coſmas.
Hilarion.
Philomonius.
Pannutius.
Sinus,ſiue Siuus.
Iacobus.
Pannuanus.
Placidus.
Timotheus.
Elias.
Antonius Calogerus.
Placidus Lucas.
Hieronymus Continuantia de Carbone.
Baſilius.
Clemens.
Iacobus Ferrarius de Carbone.
Ionas.
Gabriel.
Placidus.
Romanus Pauli.
Paulus Abbas olim S.Soſti primus Commendatarius.
Robertus Sanſeuerinas ex Principibus Beſiniani Commendatarius.

Ale-

Alexander ab Alexandro Neapolitanus Comendatarius.
Lælius à Valle Roman. Comendatarius.
Ioannes Geſualdus Neapolitanus Commendatarius.
Ferdinandus Rogerius Salernitanus Commendatarius.
Ludouicus Rogerius Salernitanus Commendatarius.
Cæſar Rogerius Salernitanus Commendatarius.
Iulius Antonius Sanctorius Caſertanus Epiſc. Cardinalis Praneſtinus Maior Pœnitentiarius.
Paulus Aemilius Sanctorius Caſertanus Commendatarius.

Nomina benefactorum Venerabilis Monaſterij Sancti Eliæ Prophetæ de Carbono.

R*obertus Guiſcardus Dux Appuliæ.*
Rogerius Guiſcardi germanus.
Boemũdus Roberti Guiſcardi filius Princeps Antiochiæ.
Rogerius Siciliæ Comes.
Boemundus Magni Boemundi filius.

Conſtantia vxor Magni Boëmundi.
Alimurga vxor Rogerij Comitis.
Gottifredus Rogerij filius.
Rogerius Rex Siciliæ.
Alexander de Claromonte.
Riccardus Siniſcalcus Rogerij Magni q. filius.
Albenna Riccardi Siniſcalchi vxor.
Ricciardus de Claromonte.
Auenia Alexandri vxor.
Gulielmus primus Rex Siciliæ.
Gulielmus ſecundus Rex Siciliæ.
Tancredus Rex Siciliæ.
Conſtantia Auguſta Siciliæ Regina.
Fœdericus ſecundus Imperator.
Honorius Quartus.
Gregorius IX.
Carolus I. Rex Neapolis.
Robertus Rex Neapolis.
Bonifacius IX.
Martinus V.
Clemens VI.
Innocentius V.
Innocentius VI.
Margarita Siciliæ Regina.
Alfonſus primus Rex Neap.
Ferdinandus primus Rex Neap.
Elias Archiepiſcopus Baren.

Ray-

Raynaldus Archiepiſcopus Baren.
Ioannes Epiſcopus Anglonen.
Leo Epiſcopus Grumentin.
Ioannes Epiſcopus Marſican.
Robertus Tortomannus Dominus Mon-
tis Albani.
Paulina Renda Roberti vxor.
Gulielmus de Moliſſa dominus Syrcla-
rij.
Giumarca domina Tyganæ.
Gulielmus de Campania Rotundæ domi-
nus.
Murella Gulielmi vxor.
Goffredus de Amico dominus Cyrcla-
rij.
Trotta filia Altrudæ domina Miroma-
næ.
Aluereda domina Pollicorij.
Robertus de Tullo.
Hiel frater Alexandri de Sineſio.
Ruſſus de Piſa dominus Cyrclarij.
Tancredus de Piſa Ruſſi filius.
Michael de Renda Cyrclarij dominus.
Raymus dominus terræ Sicelorum.
Ibunus dominus Tyganæ.
Gulielmus Ibuni filius.
Riccardus Ibuni filius.

Antonins dè Sancto Seuerino Comes Tri-carici.
Petrus Iudex Miromanæ.
Draco Belmontius Mareſcalcus.
Odonettus Belmontius.
Hugo de Sancto Seuerino Baro S. Quirici.
Polixena domina oppidi Miromannæ.
Gimarca Hugonis vxor.
Hugo de Claromonte.
Gemma Nicephori Chartularij vxor.
Alexander de Syneſio.
Rogerius Euſtacij filius.
Hugo Marcheſius.
Cæcilia Hugonis vxor.
Aſcitinus cognomento Viazzo.
Arnaldus de Craco.
Berta.
Goffrida.
Ioanna.
Bona Ioannis Promptæ vxor.
Martia.
Helena.
Nicolaus Vrſus.
Ioannes eius filius.
Irenes.

Do-

Domeſticus.
Petrus Epiſcopus.
Rogerius filius.
Leopardus, &
Helena filia.
Ioannes Spatharius.
Geneſius Falconij filius.
Guglielmus Marcheſius.
Alexander Guglielmi gener.
Byzantius Caballus.
Leo Byzantij filius.
Robertus de Deſerto Cyrclarij dominus.
Lea de Groſſa.
Nicolaus de Marco.
Gualterius.
Corbolata uxor.
Philippus Leonis filius.
Petrus frater Philippi.
Rainus de Ronca.
Sarlus.
Andreas presbyter.
Michael.
Sampſon Sarli filius.
Eugenius Quartus.
Sixtus Quartus.
Alexander de Donna Roncia.
Laurentius Simonetta de Terra Craci.

Iulius Antonius Sanctorius Caſertanus Epiſcopus Cardinalis Præneſtin. Maior Pœnitentiarius, ac ordinis S.Baſilij Protector.

Sebaſtianus Meus de Terra Sãcti Mauri.

Nicolaus Angelus Gallus de Syneſio.

PAVLI AEMILII SANCTORII CASERTANI.

ANtiquitatem meritò extollimus, effuſam in prȩconia magnorum virorum, laudata virtute, nulla præſertim poſteros vrente inuidia, præclara de maioribus ſentientes, nos nullius ingenij, aut virtutis, æquum, ac maximè piũ cenſemus, maximorum Heroum beneficia collata Cœnobio Sancti Magni Prophetæ Eliæ de Carbono, poſteritati, ad æui memoriam ſempiterni, verè, & nulla animi iactantia, aut liuore illibata, ac decantanda tranſmitti, quibus & cœlo receptas animas propitiari nobis, & conciri

Antiquitas magnorũ virorum laudatrix.

Heroum beneficia celebranda.

Cur Heroũ beneficia celebrantur.

reli-

reliquorũ animos, venerationemq́ erga Sancti Magni Baſilij normam, habitumque exiſtimamus, opus, (vt ſpero) erit non iniucundum poſteritati, & profuturum animarum ſaluti, ſi cognitis excellentiſſimorum ſanctorum, aut benefactorum Principũ meritis, ſeſe in procinctum imitandorum accingere, ac decurrere per eadem glorioſa veſtigia decreuerint. vtcunq; ſit, iuuabitur hoc opere ſucceſſorum noſtrorum ingenium, cum ante oculos merita bonorum, & impiorum malefacta obuerſabuntur.

Succeſſores iuuari maiorum exemplis.

S. Magni Baſilij p̃conia.

Sancti Magni Baſilij iam diu cunctarum ore gentium gloria celebrata, in Italia præcipuè attollitur, ſede pietatis, & magiſtra veritatis, cum Cappadoces ſui originum ſuarum immemores nefaſtis ſacris ſordeſcant, & Græcia sẽper eminentiſſimis virtutibus infida, malo ſuo indormiſcit, barbarorum pedibus protrita, & in omne ſeruitiũ infeliciter abiecta: ſed eam Italiæ partem, quam Magnæ Græciæ vocabulo inſi-

Græcia liuor, & calamitas.

Magna Græcia, quæ & Calabria.

inſigniuit antiquitas, Beatiſſimi Patris Baſilij inſtituta diu integra, illibataque ſeruata, præcipue illuſtrauere: ibi deletis Pythagoræ, & veterum philoſophorũ monumentis, Sancti Baſilij diſciplina enituit; ibi tanquam in altera Aegypto agmina Sanctorum Monachorum floruere, late diffuſa, & præſtanti, imitandaque æmulatione incitata; non Lauræ, non Nitriæ, non Thebaidos ſanctitati ceſſere, olim per cunctas gentes ſumma veneratione celebratæ, bonus odor, proximas Calabriæ regiones ſuauiter emanans, occupauit, miſſiſque veluti colonijs, pari celebritatis, ac ſanctimoniæ fama inclaruere. In Lucania opimo ſolo Prouincia, & vberi grege, armentisque, Carbonenſe Monaſterium, ordinis Sancti Baſilij, cum æde Sanctiſſimæ Deiparæ, Sancti Martyris Anaſtaſij apud Perſas immani ſupplicio laniati, ac magni prophetæ Eliæ dicata nominibus, præcipuo honore, famaque ſanctitatis præfulſit

S. Baſilij diſciplina in Calabria.

Calabriæ laus.

Lucania Italiæ regio.

Carbonenſis Cœnobij antiquitas.

ſit annorum mille ſpatio, origo ignoratur, ſuppreſſa fundatorum gloria, poſteritas; tamen Magni Sancti Lucæ Abbatis prouidentiæ, ac laboribus attribuit: hic beatiſſimus Pater Ioanne,& Thedibia genitus in Calabria naſcitur, ſunt qui Siciliæ nomine,& gentili ſolo veſtiunt,malo quodam infelici, & iniqua gentium exiſtimatione, aduerſus Calabrorum nomen, cùm pleroſque Calabros inſigni fama viros Siciliæ attribuant, barbara appellatione regni Siciliæ citra, & vltra Pharum deceptarum, cum Calabriã natorũ ſuorũ non pœniteat, vnde meritò,& veriſſimè queritur Gabriel Barrius Francicanus in ſua Calabria, ſi is libri auctor fuerit, licet nomine eius in lucem prodierit, nam multi, & fortaſſe non inſulsè, Gulielmi Cardinalis Syrleti præſtantis doctrinæ, & exacta ſtudiorum diſciplina celebris, ingenio adſcribunt. Lucas ſpretis nuptiarum voluptatibus, calcatiſque ſeculari-

bus

Ex epiſtola Commẽdatarij ad Epiſcopũ Beſiniani. Monaſterij origo ignoratur.

S. Lucas Abbas inter fundatores pͤcipuus.

S. Lucæ Abbatis parentes. ex vita, et geſtis gracè ſcriptis.

Calabriæ infelicitas

Barbara appellatio.

Gabriel Barrius.

Guilelm⁹ Card. Syrletus.

S. Lucas nuptias fugit.

bus delitijs, in Siciliam ad Sancti Philippi de Largyrio cœnobium venit, monaſticum habitum ſuſcepturus, & ab Abbate loci (Sabbam in omni vita illi chariſſimum, ac coniunctiſſimum B. Lucas in ſuo teſtamẽto ſcribit, Græcus verò auctor S. Lucæ vitę, nomen non prodit) benignè ſuſceptus, haud diu ibi moratur, tractus fama ſanctitatis Eliæ Bouenſi in Oppido nati, cuius corpus Calatri aſſeruari incolæ perhibent, in agro Rhegino, in quadam ſpelunca commorantis, & inaudita ſe affligantis vexatione, multorum Monachorum parentis: huic ſe B. Lucas in diſciplinam tradens omni ſtudio, ac diligentia magiſtrum imitari, & mores ad animum tranſmittere nitebatur: nihil in illo tumidum, nihil arrogans, nihil libidinoſum, demiſſione mirifica, placidis morib⁹, ingenio mitiſſimo, charitate eximia; aderant in commilitio ſanctiſſimi & alij Monachi, Phãtinus, Zaccharias, & Philaretus, de virtute, & caſtimonia,

Cœnobiũ S. Philippi de Largyrio.

S. Sabba. S. Lucæ magiſter. ex teſtamenti tabulis anno MLIX.

S. Eliæ monachi ſanctitas.

S. Lucas S. Eliæ imitator ex Græco auctore manuſcripto.

S. Lucæ virtutes

Sanctorũ. monachor. diſciplina.

monia, demiſſione, & pietate certamen erat, ſummi athletæ ſemper in arena, atque in puluere luctari aduerſus dæmonem, & bellatores egregij feruentiſsimè, & aſsiduè proſilire in certamen, læti, ouanteſque: ſed diſpergi per proximas regiones militem, & plura caſtra fieri placuit ad incrementa virtutum, & Reipublicæ vtilitatem, Lucas digreditur à ſocijs, Noamque deuenit, Calabriæ caſtellum, edito ſitum loco, inſalubribus aquis, & fertili circum agro, nemoroſisque ſyluis, nactus ædiculam Sancto Petro Apoſtolorum principi dicatam, aliquandiu ibi fuit, ſolitudine, & ſilentio gaudens; cumque concurſus ad eum circumiacentium populorum fieret, mira, ac ſtupenda operatur, valetudinem debilibus, atque ægrotis, & lucem cæcis impertitus: ſeptennio ibi moratus, ad flumen Agrumentum peruenit, ibiq; inſtaurata Aedicula ſub Sancti Iuliani nomine, vnicum populorum fame pereun-

S. Lucas Noam deuenit.

S. Lucæ miracula.

Flumen Agrumenti.

reuntium leuamentum fuit, nunquã deficiente annona, immo inter eleemoſynaıum largitatem, aucta in immenſum, magno illi Ioanni Patriarchæ Alexandrino (cui eleemoſynarum magnitudo Eleemoſynarij nomen dedit) comparandus, humilis cellulæ cultor, in vaſtis agris, vel incolis ignotus, cum Ioannes Eleemoſynarius magnitudine vrbis, & faſtigio dignitatis, in Oriente cũctis pręcelleret. Interim Lucæ nomine fugari dæmones, expulſi obſeſſorum corporibus, vel amictu ꝑ alios monachos languentibus tranſmiſſo, ſtupentibus ſociis, hauſtisque arcanis diſciplinis, quarum antea penitus ignarus erat, cum admirabili aſtantium ſtupore, non theologicæ modò facultatis, ſed philoſophiæ etiam quæſtiones ſubtiliter interpretabatur, vel myſterijs nõ ignaue diſcuſſis: iamque in ore omnium charus populis, principibuſque terribilis erat, ingenti miraculo perfuſis arrogantium animis,

S Lucæ caritas in fame populorum. *Ex hiſtoria manuſcripta S Lucas Ioãni eleemoſynario par.*

S. Lucas dæmonibus terror ingens. Ex hiſtoria manuſcripta.

S Lucæ doctrina.

Ex vita S. Lucæ.

Landulphus Baro. *Baronis vox quid ſignificat.* *Baronum mores.* *Vaxalli vnde dicti.* *Barones rei eccleſiaſticæ inhiantes.* *Lãdulphi auaritia punita. Ex vita S. Lucæ à ſocio ſcripta.* *S. Lucas Carboniũ proficiſcitur.*

Landulpho Barone (quę vox dignitatem ſonat apud iuriſperitos, pro molli accipiebatur apud antiquos, ego verò a barritu deducerem, qui propriè elephantorum eſſe dicitur, equis terroris ingentis, vt ex hiſtoricis accepimus, cum ſic Barones ſubditos exterreant, quos vaxallos ipſi vocant, quaſi vexandos, in fugam, deſperationemque compulſos, depaſti fortunas, & nomen) ſæuè, & iuſte punito, quippe qui cum ardenti furore, & inuidia ſaucius, inhianſque Cœnobij fortunis, vt Baronum votum eſt, prorueret in vulnera monaſterij, per aera raptus nuſquam comparuit. O vtinam Sanctiſsime Luca, (peruertatur hiſtoriæ ſeries) reſpiceres præſentium Baronum ſcelera, & rapinas, atrociter, ac furenter bacchantium eccleſiaſticis bonis, & præſertim monaſterij tui Carbonenſis, quod rapaciſsimè depopulati ſunt, ſed adeſt in promptu diuina vltio, vt ſuo loco dicetur. A Sancti

Iu-

Iuliani ſacello itum in Carbonenſe Monaſterium, tunc iacta ſanctitatis fundamenta, ſubſequentium videlicet Archimandritarum, & Abbatum, ac ſtatutæ columnæ in ſolidiſsimo ædificio, optimi odoris, morum caſtiſsimorum, decentiſsima, ac ſeuera diſciplina vallatæ mentes monachorum, cum incremētis numeroſæ prolis, colonia ibi optime communita: increbreſcentibus armorum rumoribus, itum eſt Armentum, abſciſsis rupibus cinctum caſtellum, & difficultatibus naturæ inuadēti imperuium, hoc in loco ne contra monaſtica inſtituta, diſciplinamque, vagarentur monachi à reliquis monaſterijs profugi, & ad eum, tanquam ad aram, aſylumq; confluentes, monaſterium erigitur, tutum ab hoſtili furore, & vi imminentium armorum, Otho namque magnus in Italiam deſcendens Ioanni XIII. Pontifici auxilium laturus, à Romanis ſolio depulſo, fracta Beringarij arrogantia, cum a Nicephoro

S. Lucas Carbonenſis cœnobij inſtaurator diſciplinæ, & alter fundator.

Ex ſcriptis B. Lucæ Abbatis, & ex narratione B. Blaſij Abbatis Carbonenſis.

S Lucas Armentū proficiſcitur.

Auctor Græcus, ſancti ipſius Lucæ ſodalis, & monachus ab ſe cuncta viſa teſtatur in vita S. Lucæ.

Otho I. Cæſar.

Auctor vitæ S. Lucæ

appellat Principẽ eltramontanum, & explicat apparatũ armorum. phoro Græcorum Cæſare Theophaniã filiam Othoni ſuo clariſsimo iuueni, magnæque indolis, petijſſet, repulſam paſſus, grauiter indignari, ſcelerisque, ac perfidiæ ſe aduerſus Nicephorum præbens vltorem, in Græcos, ac Sarracenos bellum pariter inſtruebat, Pandulpho à Capiteferreo principe Capuano, acriter adhortante, nec inaniter de belli rationibus differente, Sarracenico marti aſſueto, viresque gentis experto, magni animi, magnique viro conſilij: ſed abſceſſere Italia Sarraceni, cum aduerſus ſe motum iri robora Germanorum præſenſiſſent, cum paulo ante tumidis animis exultabundi Romana mœnia ambiſſent, deuaſtata Italia, & omni cladium genere funeſtiſsime diuexata, quorum impotentiſsimæ lui à Ioanne X. obuiam itum fuerat, ad Lyrim, Minturnarumque ruinas, barbaris occidione occiſis, ipſo Principe armato, & ferali carmine, barbarorum capita furijs, di-

Othonis apparatus.

Pandulphus a Capiteferreo.

Sarraceni Italia abſcedunt. Sarracenorum populationes.

Ioannis X. Pontificis laus. Caſi Sarraceni ad Lyrim.

risque

riſque deuouente, & noſtris felicia apprecante: ſed Græci in martem accincti obiecere ſe Othoni iuueni, à genitore aduerſus eos cum exercitu miſſo, acre prælium commiſſum, fuſi Græci, & Calabria, & Appulia exacti, victoria penes Othonem fuit, cumulatis præconijs, ſed Othone Magno e viuis exempto, filioque aduerſus Lotharium Francico bello implicito, Græci iterum Baſilio, & Conſtantino Cæſaribus, arma maritimis oris intulere, feri, infeſtique, aduerſus quos Otho II. inita cum Lothario pace, pugnaturus proficiſcitur, collatiſque in vnum legionum viribus, ac præſtantiſsimo quoque ex Italicis delectibus, caſtra in Græcos promota, propoſitumque pugnæ ſignum, & deſcenſum in certamen ad Baſentum amnem, haud procul Cōſentia, decertatumque diu acerrimo marte, & mutua ſtage, ſed referentibus pedem Othonianis, incubuere Grȩci, cæſiſque anteſignanis, & pu-

Græcorum clades.

Duo Græcorum Cæſares in Italia.

Pugna Othonis cū Græcis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gnaciſsimo quoque Germanorum, haud incerta Grçcorum victoria fuit, Otho Beneuentanis iraſci, à quibus initium fugæ factum exiſtimabat; elapſus è manibus Grçcorum, parentare, interitu Beneuenti, ſtratis in prælio decreuit, illinc Romam aſportatis Sãcti Bartholomæi Apoſtoli reliquijs, & in Lycaonis Iouis inſula collocatis, Beneuentum immaniter depopu latur, præpotentem vrbem, ſedemq; Longobardorum Ducum, crebris, ſupremiſque cladibus euerſam, ſemperque renaſcentem clarioribus incrementis. At Sarraceni rurſus Italiæ funeribus inhiantes, maxima claſſe ad littora noſtra enauigarunt, & expoſito in continentem milite, omnia cruore, ac cædibus repleuere, Appulia, Calabria, & Lucania fœdiſſimè conlaceratis, prope Armentum in campeſtribus ſtatuto vallo, ædiculam Sanctiſſimæ Genitricis impuriſſimè defœdarunt, caſtellumque ſumma vi aggrediuntur, diffuſis ſagittarijs, & omni

Othonis fuga.

Otho Beneuentanis iratus

Sarraceni in Italiã enauigãt.

Vaſtatio prouinciarum.

Armentũ oppugnatur.

Ex hiſtoria S. Lucæ Gracè ſcripta.

omni telorum genere defenſores appetentes, trepidare incolæ, & de ſalute diffidere, Sanctum Lucam præhenſantes cum fletu, ne ſe desereret, neue pateretur abſtrahi liberos, ac coniuges in ſeruitium, aut in ludibrium ſacra, flecteret precibus Deũ, cieretque in auxilium deploratæ ciuium ſalutis, piè ſanctus pater infrendens, non deſiſtit fatigare precibus ſuperos, auditaque Chriſti voce iubentis, vt accepto baculo præiret ad expellendos canes, præſenti animo adhortatur oppidanos, ciet in certamen, ad victoriam inflammat, prædam oſtentat, iubet in hoſtem impauidè erumpere, cælitibus anteſignanis, & violato nomine Sanctiſſimæ Deiparæ, hoſtibus exitium, & internecionem ſpondente; ſublato oppidani clamore hoſtem montis abrupta ſcandentem, & ferociſſimè dimicantẽ adoriuntur, loco pellunt, res gladijs geritur, pauci aduerſus plurimos præſtãtiſſime certant, mars anceps, & dira

Incolarũ pauor.

Chriſti vox.

S. Lucas hortatur incolas ad prælium.

Oppidani erumpunt in hoſtem.

vulnera, clamor diſſonus, & morientium gemitus, armorumque crepitus exaudiebantur, fulgentiſſima lux ambire Sancti verticem ingeminato fulgore, & ipſe Sanctus cādidiſſimo inſidens equo, ſupra prodigium minacior barbaris viſus, eorum audaciam fregere, abiectis armis de fuga cogitare, quiſque immemor ſociorum, ac diſciplinæ, fugæ ſe mandat, nemo loco conſiſtere, relictisque tabernaculis, terrore perfuſi, ad longinqua abſceſſere. iactet antiquitas fabulas ſuas, in Caſtoris fratriſque ſudore, dum Romanæ manus aduerſus hoſtē prælium miſcent, auxiliatorum in pugna, aut nunciorum felicis euentus. Poſt inſignia miracula, poſt Nicolaum Monachum ad vitam reuocatum, poſt plurima Templa, ac Monaſteria ædificata; vir Dei, præmonitus ab Angelo, noſcit diem, & horam mortis, aſtantibus Monachis, felix migrauit ad cœlum, iij. Idus Octobris, anno ſalutis ıɔccccxciii.

Prodigiū.

Sarracenorum fuga.

Caſtor. & Pollux in acie olim Romana.

Nicolaus Monachus ad lucem reuocatus.

S. Lucas noſcit diē migrationis.

S. Luc. iij. Id. Octobr. migrat in cœlum.

mo-

morienti affuit B. Sabba illius amiciſſimus, atque amantiſſimus, lauit, terſit, & iuſta perſoluit, corpus eius in caſtello Armenti quieſcit, loci tutelaris; Huic Sancto patri in Cœnobio Carbonenſi, Beatus Blaſius ſuccedit, non minoris ſanctitatis, ac famæ, huic Menas, qui Turcarũ catenas diu perpeſſus eſt, cui ſuffectus eſt Stephanus, cognomento Theodolus, quem Lucas excepit priori ſimillimus, placiditate morum, & pietate, qui hanc ante ſe Abbatum, ſeu Archimandritarum, ſeriem intexuit, teſtamento confecto, & rectore monaſterio præfecto Blaſio Monacho, inter ſubditos, virtutis amore, cunctis prælato, anno ciↄlix. cum redditus Monaſterij non mediocriter amplificaſſet, nouaſque erexiſſet ædes ſacras, aut inſtauraſſet, pietate motus, pergere Hyeroſolyma ſtatuit, hic cum barbarorũ terras, cum comitibus peragraſſet, adoratis Chriſti Saluatoris cunabulis, & Caluario, auexit ſecum in Italiam

S. Sabba morienti S. Luca affuit.

S Luca corpus Armenti ſeruatur, habetur illic peculiare officiũ cũ horis canonicis, & hiſtoria ſuſe ſcripta.

B. Blaſius S. Luca ſucceſſor.

Lucas ponit ſeriem Archimandritarum.

Ex teſtamento ipſius. Anno ciↄlix.

B. Blaſius Monaſterij Abbas.

Ex teſt tabul. Anno ciↄlix.

Luc. Abb. Hyeroſolyma proficiſcitur.

liam rediens, ſacra pignora, corpus nimirum Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ, & caput magni Ioãnis Eleemoſynarij, clariſsimi Alexandrię Patriarchę, templumque beatiſsimo Patri Lucæ erexit, manibus operatus, atq; conſilio, ibique Sanctæ Mariæ reliquias collocauit, ſed caput Sanctæ quidam presbyter furatus Neapolim detulit, acceptoque pretio, ſacratis cœnobij Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ donauit, monaſterium hoc Sancia Roberti Regis vxor ædificarat, religioſa fœmina, & mariti virtutibus haud inferior: nos Sanctæ Mariæ reliquias indecore iacentes, honorificentius decorauimus, addita celebritate, & pompa, caput vero Sancti Magni Eleemoſynarij, Iulius Antonius Sanctorius S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Præneſtinus, patruus meus, magnifice auro, argentoque exornauit, lanci vitreæ antea ſuperimpoſitum, abiectè, atque inhonoratè, nec puduit loci rectores, ſpectaſſe dedecus ſuum in

excel-

Lucas corpus S Mariæ Aegyptiacæ, & caput S. Ioãnis Eleemoſynarij et aliorũ Sãctorũ plures reliquias ab Oriẽte Carboniũ defert.

Tẽplũ S. Lucæ Abbati fundatur à Luca Abbate.

Caput S. Mariæ Aegyptiacæ Neapolim defertur.

Ex manuſcriptis, & ex vetuſtiſsima traditiõe.

Sãctorum reliquiæ decoratæ.

excelſiſsimi viri humiliter iacentis latebris. Attulit quoque Lucas lancem recenti Martyrũ ſanguine exundãtem, cuius eſt inęſtimabilis odoris vis: ſpectantur, & aliæ Sanctorum reliquiæ, Sancti Viti præcipue, ac Sancti Chriſtophori, aliorumq; martyrum, ac Confeſſorum, ſed notauimus loculos inanes pleroſque ſpectari, adeo incuriosè, nec dum irreligiosè cum cœleſtibus, à ſuperioribus monaſterij rectoribus actum fuit, & miramur aduerſis numinibus corruiſſe tãti cęnobij gloriam, ac ſanctitatem, amputatiſque ampliſsimarum poſſeſſionum, pagorum, caſtellorumque redditibus, quaſi quibuſdam lacertis, hiſcere tanti nominis corpus, laxis vulneribus fatiſcens, ac pene confectum; ſpernimur à Deo, dum diuinis omiſſis, noſtra curamus: Sed in progreſſu narrationis explicabo motus, & inflictas cicatrices, auctoresque tantorum malorum. Lucas tot theſaurorum allator, (quis infiniti

Aliæ allatæ Sanctorum reliquiæ.

Incuria Abbatum

pretij

pretij theſauros, ſanctas illas reliquias, omni auro, ac margaritis pretioſiores, non appellabit?) poſt aliquot à peregrinatione menſes, feliciter mortē obiit, ſed quia appoſuimus in ore libri ſeriem Abbatum, ac Cōmendatariorum, (vox re noua, & ideo monaſterijs non felix) ſuo loco eminentiores memorabimus, nullius nomine abolito, licet multi ingeſtis vulneribus exhauſere cœnobium, iuribus trucidatis, aut nefarie conſepultis, metu, aut adulatione vicinorum Principum, ac Baronum. Offert ſe nunc beatiſsimus Nilus Roſſani in Calabria natus non humili loco, diuturnus Carbonenſis cœnobij præfectus, à germana, poſt parentum fatum, piè educatus, clariſsimum ſine dubio ordinis Sancti Baſilij lumen, admirabili ingenio, præcellentique diſciplinarum gloria, ſed Chriſtiana charitate efferuēctiſsimus; adoleſcens, delibata virguncula, proleque ſuſcepta, facti pœnitentia mire cruciatus, diſtri-

B. Luca Abbatis mors.

Commendatarij.

S. Nili Roſſanenſis origo.

S. Nilus ad S. Mercurij cœnobium.

diſtributis in inopum neceſſitates for tunis, ad Sancti Mercurij cœnobium confugit, ſed vrgentibus prouinciæ præſidis minacibus nuntijs, ne monachorum albo adſcriberetur, illico recurrit ad monaſterium Sancti Nazarij, ibique depoſito cingulo, Chriſto militare incœpit, vigilãtiſsimus, & cibi, potuſq; abſtinentiſſimus, ſemper in procinctu, ſemper in caſtris, religionis, pietatis, charitatis, ac demiſsionis armis tectus cum hoſte humani generis dimicare, non miſsilibus, eminuſue, ſed cominus, pede collato, & mucrone fidei terribilis laceſſere vel quieſcentem, tunditur ab hoſte, verberatur, affligitur, vel illato terrore minarum, nec animo ipſe ſtrato ſuccumbit, pedibus nudis, capite intecto, ferox, magnaq; alacritate martem poſcens, fruiturque conſuetudine multorum Sanctorum Monachorum, & non procul monaſterio Sancti Mercurij, cellulam in rupe præcelſa delegit, dicataque Mi- chaeli

S. Nilus monaſticũ habitũ ſuſcipit.

S. Nili virtutes.

S. Nilus in cellula ſolitarius.

chaeli Archangelo ara, vitam longe aſperrimam, ac laborioſiſsimam duxit cęleſtium contemplatione conditam: inde ſtrepente barbarico claſsico, ferrumque in pios acuente Sarraceno, Italici ſoli vaſtatore familiari, clades, vaſtationeſque euenturas Calabriæ, & proximis vrbibus, ſpiritu præcognoſcens, in Sancti Adriani oratorium deuenit, in agro poſitum Beſidianenſi, nec eo in loco impar ſibi viſus, vel abſtinentia ciborum, vel arctiori corporis, animique cuſtodia, aduerſus blandimenta muliebria, quibus prætextatus lubrice ſuccubuerat, aut mundi voluptates, ſolitus narrare diabolum, ſic de ipſo opinari, farique ſecum, monachus iſte lutoſa materia eſt, alluam aquarum indagine, ideſt lachrymis mulierum, & ſic affuſus, madefactuſque, liquato animi rigore, ad imperata procumbet; impetrata à Chriſto benedictione, manibus à cruce retractis, in Campaniam, ad Caſinenſe

Sarracenus Italiæ populator.

S. Adriani oratorium.

Diaboli inſidia.

Chriſti fauor erga S. Nilum.

ſinenſe monaſterium abiit, ſanctitate inclytum, & celeberrimi nominis decore ob Sanctiſsimi patris Benedicti glorioſiſsimam vitam, & miracula, toto orbe coruſcantia, ſimul recordatione ſummorum regum, quos ob pietatem, eiurato imperio, abiectiſque faſcibus, ſtetiſſe ad iuſſa Abbatum, liminibus ſtratos, ſuppliceſque, narrant hiſtoriæ, vel Orbe mirante, nec tamen in æmulationem virtutis, ac pietatis euicto: hinc abſcedens xv. annos in Monaſterio Vallelucion dicto conſedit, cum vagari per Prouincias ſanctitatis odore late diffuſo, pium, ac neceſſarium cenſeretur, ob ſalutem animarum, decennio poſtea in Serperi (quod dicitur) monaſterio cõmoratur, poſito in agro Caietano, fama nominis eius latiſsime propagata. Othonem II. poſt prælium ad Baſentum, malè pugnatum, regreſſum in vrbem vij. Id. Decembris mors oppreſsit, cadauere eius in atrio Sancti Petri funerato, ac

Caſinenſe monaſterium.

Supplices reges ad iuſſa Abbatum.

S. Nili peregrinationes.

por-

Otho iij. Cæſar. porphyretico tumulo conteᶜto, Otho filius pietate memorabilis Cæſareos faſces aſſumit, Beneuentanis, Campanisque ad petendam à Populo Romano pacem compulſis, ab obitu Ioānis xv. *Gregorius v.* Gregorium v. affinem ſuum extolli in faſtigium curat, ingratum id Senatui, donari Cæſarum libidine ſacras infulas, & Thiaram, curulemque, poſthabita veneranda Senatus poteſtate, ægerrimè, nec obſcurè ferenti, ſed Gregorium, remeante in Germaniam Othone, expulere Romani, *Creſcentij Numentani opes.* Creſcentio Numentano in conſulares faſces inuadēte, acceptiſſimum id populo, & renouari priſtinum, atque amabile Conſulum nomen, poſt tot luctus, & funera, quibus fuerat elata Romana Reſpublica, mirificè cupienti, addidere ſceleſtiora, poteſtate extenta etiam in ſupremæ dignitatis inſignia, renuntiato *Romana ſeditio.* Pontifice Epiſcopo Placentino, cui Ioannis xvi. nomen indidere, prælatis inſignibus, & aulæ apparatu, ornatuque,

natuque, regreſſus ex Germania Otho, vrbem inuadit, & obſeſſa mole Adriani, captiſque perduellibus, ſeueræ iniurias vlciſcitur Philogato pſeudopontifici erutis oculis, & Creſcentio fædum in modum interempto, miti alioquin homine, & tali exitu indigno, multis virtutibus clareſcenti, ſteteratq; pro Philogato Beatus Nilus, ſed fefellere fidem Pontifex, & Cæſar, vterque in vltionem accincti, Otho facti pœnitens nudis pedibus Garganum petijt, exoluturus vota cæleſtium legionũ ductori, & numini ſupplicaturus ob facinus, regredientem a peregrinatione, cum obuiam cum omni familia beatiſſimus iſſet cruce prælata hoſpitio excepit, faſtuque depoſito Cæſarij diadematis, Otho a beato benedictionẽ humiliter petit, præmonitus vt Dei reminiſceretur, nouiſſimique diei, caueretque fallaces blanditias, & aulæ illecebras, pergentem in patriam Othonem Beati Romualdi imperata

Otho ad vrbem.

Perduellium ſupplicium.

S. Nilus pro rebellibus deprecatur.

Otho Garganum petit voti cauſſa.

Othonis demiſſio animi.

B. Nili ad othonem monita.

 factu-

factum, haud incertum homini exitium, ſi vrbem petiſſet, minitantis, denuntiantiſque, Creſcentis vxor, ſuperbo ambitu turgens, auidaque imperandi, dum thalamum ſomniat, & opes amantis diſceſſus impatiens, venenato chirothecarum munere extinguit, cognita iuueni, & in amplexus olim effuſa, ſpe tædarum illecta; nec Gregorium v. poſt calcatas ſuperbas ciuium ceruices, faſtumq; populi Romani depreſſum, poſtque effuſam in Italicum nomen bilem, & immortalis odij monumentum, poteſtate eligendi Cæſaris ſuis dumtaxat delata Germanis, diſciſſis aliarum nationum affectibus, atque ſuffragijs, licet id tribuatur Pontifici Gregorio X. a multis hiſtoricis, ſuperi diu viuere ſiuere. Interim ſancti viri fama latius crebreſcente, ædificatur monaſterium Cryptæferratæ, haud procul Tuſculo, villaque Ciceronis vbi ſanctæ Martyris Agathæ ſacellum erat, conſtructo cænobio, Nilus familiæ

Muliebris ambitio.

Othenis iij. mors.

Aedificatur monaſteriũ Cryptæferratæ.

liæ præeſt, confluentibus ad eum B. Bartholomęo ciue ſuo haud obſcuro, & ipſo Carbonenſi monaſterio præfecto, inter ſanctos relato, & beato Gregorio, quem certo mortis diſcrimini exemerat, Beato Stephano, & Beato Paulo, alijſque permultis, adeo illa caſtra omni munimento validiora, fortiſſimorũ ſeminario bellantium redundabant in ipſis principijs procinctuque depugnantium perpetuò aduerſus humani generis inſidiatorem, & inanes ſæculi voluptates, nihil in illis deſideraſſes, non Spartanã duritiem in domandis corporibus, non Perſicum ſilentium, ad tacite contemplanda cæleſtia gaudia, ſine proximi murmuratione, ac iactura, non Atticam eloquentiam in explicandis myſteriorum abſtruſis, non deniq; Romanam diſciplinam ad muniendam rem militarem moreſque patrios, vel morte chariorũ; & B. Nilus ſanctimoniæ, ac dierum plenus, in cœnobio Cryptæferratæ dië clauſit

Coniurſus ſanctorũ monachorum ad beatum Nilum.

Sanctiſsima monachorũ diſciplina.

Obitus S. Nili in Cœnobio Crypta ferrata.

extremum, quinto, & nonageſimo natus anno, ſenſibus integris, & nullo in ſenecta morbo attentatus, ibiq; tumulatur, nomine eius chriſtianis faſtis adſcripto, id eſt ſexto Kal. Octobris: vitam eius poſteritati mandauit B. Bartholomæus Roſſanenſis. A ſanctiſſimi viri obitu, Bartholomæus, licet iuuenis; prudentia & ſenili maieſtate decorus Cryptæferratæ Cænóbio preficitur gratiſſimus ſenatoribus vrbis, ipſique Pontifici, inter ciuiliũ armorum fluctus vehementer agitato, & Nilus iunior, priori magnitudine nominis, ac ſanctitatis æqualis, Carbonenſi monaſterio vtilior, in Lucania commorans, decedente Clymo Archimandrita, monaſterij adminiſtrationem ſuſcepit, cogentibus monachis, cum præ demiſſione animi, indignum ſe diceret eo munere, cui alij Abbates omni virtutum genere florentiſsimi, præfuiſſent, eſſentque plurimi in cœtu monachorum, tanto honore digniſsimi, inter impendentes tempe-

S. Nili ætas XCV annorum.

B. Bartholomæus Cryptæferratæ cænobio præficitur.

B. Nilus iunior.

B. Nili demiſſio animi.

tempeſtates, tonanteſque procellas, cœnobio mire neceſſarij, atq; vtiliſſimi, ſed repudiatis conſilijs, cogitur ſedere ī puppi, & moderari cœnobij clauum, in ſumma rerum, Italięque commotione, ducibus, ac regibus maxime charus, metuenduſq;, ob ſanctitatem morum, & admirabilē charitatem. Siquidem Normanni, poſt multa cum Frācis prælia felici marte decertata, compulſumque ad pacem petendam, Carolum Simplicem, Aegidia regia puella Rholloni gentis duci nubente vel (vt alijs placet) Ope Beringarij Bellouacorum Comitis filia, datumq; trans Sequanam regioni ab ſe nomē, inter Armoricos olim tractus numeratæ, Tancredo clariſſimo duce, duodecim liberorum ſobole, ex duabus vxoribus Moriella, & Phryſenda ſuſceptorum, claro, metuendoque, ſpe amplioris dominij, opumque, in Italiam deſcendere, feliciſsimis auſpicijs, prima Italicæ militiæ tyrocinia apud Beneuentanum,

B. Nilus inuitus cœnobio præficitur.

Normanorum genus.

Normanni in Italiam deſcendunt.

Salernitanumque duces, ciuilia arma miſcentes depoſuere, ſed pace inter regulos firmata, itum, militatumque apud Græcos, dum Sarracenum Italię viſceribus inhęrentem, Italia, Siciliaque depellere nituntur, fortuna virtuti reſpondet, profligati, fuſi, occidione occiſi Sarraceni, ne Normãnorum quidem aſpectum ferentes; ceterũ Georgius Maniaces, prudens alioquin dux, & cõſilio egregius, gręco faſtu fortiſsimorum hominum pręſtantiam eludens, exciuit in iugulum Græcorum felicia Normannorum arma, indignati, preſsis tamen iris, ſerenatoque ad tempus vultu, in Italiã regrediuntur, ſtatimque in Apulia Melphim occupant, opportunam ſitu vrbem munitionibus augent, & validiſsimo præſidio firmant, aduenientem cum magnis Gręcorum copijs Maniacem, minitantem, frementemque, eruptione facta in fugam vertunt, caſtris exuunt, apparatu omni caſtrenſi potiuntur; auctis a victoria

Normannorum in Italia prima militia.

Sarraceni occiſi.

Georgius Maniaces

Normanni facti Græcorũ hoſtes.

Maniaces fugatur.

ria animis,breui Apuliam, Calabriãque occupauere, ducibus Guilelmo Ferabaco,a robore virium, & corporis lineamentis ſic dicto, & Roberto Guiſcardo altero germano, ſeu quia feliciter terris peragratis,ad ſuos redierat incolumis, ſeu quia aſtu præpollebat, ita vocitato, & altero fratre Rogerio, cui ob virium præſtantiam, corporiſque proceritatem, ac bellandi peritiam, Boſſi cognomen fuit: aucta felicitate, arma in Siciliã aduerſus Sarracenos tranſtulere, pari animi celſitate,euentuque proſperrimo,ad internecionem cæſi Sarraceni, iuſta acie victi, ducibus eorum Tramito,Bettumeno,Belcane, Benauiro, ac Benamahomete captis, fuſis, fugatiſque, multiſque in inſula vrbibus vi expugnatis,manuque captis, Siciliæ imperio depelluntur, reſtituta poſtliminio religio in vniuerſa Sicilia, erecta templa, aucta pietas, dati ſacerdotes, & æditui, cuncta denique chriſtianum ad morem reuocata; ne-

Normãnorum fratrum virtus.

Normannorum felicitas.

Sicilia redacta ĩ poteſtatẽ Normannorum.

Normannorum res geſtæ. que his finibus, aut magnitudine cõtenta fratrum virtus, poſt Henrici fugam, fumanreſque Capitolij ruinas, ac fractam rebellantium Romanorũ ferociam, Epiro, Acarnaniæ, & Aetoliæ bellum illatum, Græci paſſim trucidati, capta quamplurima oppida; pugnatumque vario euentu naualibus certaminibus, apud Caſſiopem *Roberti Guiſcardi mors.* Guiſcardus morbo interijt, duobus liberis relictis paternæ magnitudini paribus, Rogerio ex Sengregaida, & *Diſcordia fraterna.* Boemundo ex Alberarda ſuſceptis, ortam inter germanos diſcordiam, accenſaſque dominandi cupiditate mentes, martemque non impigre ciẽtes, diremit nobilioris belli gloria, moto Occidente in Sarracenorum excidium, recuperandorum ergo Hie- *Sacrum bellũ Vrbano ij. auctore ſuſceptum.* roſolymorum, Vrbano i j. Sanctiſſimo Pontifice bellicum canente, ſignumque aduerſus impietatem extollente, rubra cruce humeris adpreſſa, ſummi duces iuere trans mare, bellaturi aduerſus veros hoſtes, cuncta Eu

ropa

ropa in expeditionem accincta, Boemundus ſibi ſuperior, ſacro bello nomen dedit, germano pacificatus, latius, clariuſque ſibi imperium paraturus, ſummis ſe ducibus Gotthifredo, Balduino, Euſtathio, Vgoni, Raymundo duobuſque Robertis, ac Ademaro Podienſi ſociauit, Tancredo fratris filio, non minoris præſtantiæ; ac animi magnitudinis, lateri eius aſſueto, cum lectiſſima Italorum manu, virtus eius clariſsime effulſit, in admirationem ſui, amoremque vel hoſtibus tractis, capta in Syria Antiochia ad Orontem, Boemundo ceſſit conſenſu ducum, Alexio Græcorum Cæſare, græca fide promiſſa eludente, & finem belli ocioſe ſpectante, & Pyrrhus ſeu Hemirpherrus Antiochenus ciuis, qui vrbē noſtris aperuerat, id in primis repoſcere, captus inſigni Boemundi virtute, inter pugnaciſſimos longe primi, pugnatum aduerſus noſtros, ad Antiochiam, Duce Corbana Perſarum clariſsimo, inume-

Boemundi pietas.

Summi Duces in bello.

Tancredi virtus. alij ſororis filiū fuiſſe ſcribūt.

Antiochia capitur.

Victoria ad Antiochiam aduerſus Corbanā Perſarum ducem.

numerabiles equitum,ac peditum co pias trahente, eadem felicitas, quæ ad Nicæã,Tarſum, Edeſſamque, noſtros fuerat comitata, pugnantibus affuit, ſtratis centum & amplius millibus Perſarum, & Corbana turpiſsimam in fugam coniecto, caſtriſque omni barbarica opulentia, & gaza ditiſsimis,captis,direptiſq; præeunte armorum fulmine,vbique tactis, concuſsiſque gentibus, & feſtinato curſu

Hyeroſolyma capiũtur.

Hyeroſolyma deuentum, metam laborum, vigiliarumque, pertinaciſsime defenſa, & præſtantiſsime oppugnata victorum præmium fuere, & trans Halym, Taurumque promotis

Heroum virtus.

ſignis,proxima quæque metu tremẽtia procubuere,renouato apud Orientis gentes,regnaque Perſidos, veteri Romanorum fulgore armorum,longiſsimo temporum interuallo, apud Euphratẽ ſilentium, cum vltra Suſa & Hacatompylos regia, chriſtianis gentibus,illato terrore, ſeruitutem, & extrema quæque, minata fuiſſent.

Sed

Sed quis formā Boemundi, quis ſua uitatem dicendi, quis pugnandi peritiam, animiq; robur inuictum, quis religionem præferuidam erga ſuperos, araſque, & monachos enarrare poteſt? quis diuerſitatem præliorum, quis adita diſcrimina, aut captiuitatis, in qua Tancredi pietas ſupra humanum faſtigium eluxit, aut oppugnandarum vrbium, interque hoſtiles acies, ferrumque verſantis, peragrantiſue alienas, infeſtaſque terras, memorare ſufficiet? huic ſe Pater Nilus inſinuarat, bene Roberto genitori cognitus, infinita cupiditate benemerendi de Chriſto, eiuſque famulis ardeſcenti, quanta ab eo retulit priuilegia, & immunitates Carbonenſi monaſterio conceſſas, quantoſque redditus, & fructus? certabat pijſsimus, & omni æternitate dignisſimus Princeps humilem beati paupertatē, largitate ſua, & magnificentia, in claritate, & gloria ponere, erubeſcebat petere Sanctus, cum princeps liberaliſsimus

Boemundi præconia.

B. *Nilus Boemundo intimus.*

Boemūdi gloria.

liſsimus cumulatiora in diem repræſentaret, digniſsimus genitore filius, digniſsimus, qui hæredem ſibi ſimilem non lineamẽtis modo oris, & formæ decore, ſed pietate etiam relinqueret Boemundum iuniorem, Conſtantia Philippi Franci regis filia genitum, quem ab obitu patris, apud Canuſium in æde Sancti Sabini magnifice tumulati, ex Italia in Syriam profectum (cum Tancredus patruelis nullo liberorum ex Cęcilia vxore relicto, diu, ac pręſtantiſsime Antiochenum principatum tutatus, aduerſus barbaros generoſiſsime certans, morbo interijſſet, Syriacis rebus non exigua clades) Balduinus Hieroſolymorum rex, Elyſæ filiæ thalamo alligauit, pubeſcentem eximia forma, ſummę ſpei, glorioſiſsimęque indolis, nihilque metuentem, incautumque, in Cilicia ſcelaratę Rhodani Alapiani tyranni inſidię abſtulere, cui beatiſſimus Nilus mirifice charus, acceptuſque fuit, priuilegijs, & immunitatibus

Boemund⁹ iunior

Boemundi tumulus.

Cæcilia Tancredi vxor.

Tancredi mors in Syria.

Boemund⁹ iunior Elyſã vxorem ducit.

Boemundus dolo interfect⁹

B. Nilus Boemũdo cariſsim⁹.

bus quammaximis Carbonenſi cœno bio confirmatis, auctiſque, certatum eſt æmulatione benefaciendi, ornandique ſanctum Carbonenſe monaſterium, inter maximos, & pientiſſimos Principes, in ipſa gentilitate, ac ſtirpe. O vere cũctis ſeculis memoranda progenies, o chariſsima Deo familia, nata ad honorem, amplificationem, & decus monaſteriorum, ibique degentium Dei famulorum ornatum, commodumque, o vos felices, & vere beatos, qui humana, ac fragilia largientes æternis ſedibus, cætuque beatarum mentium fruimini, ſyderibus inſidentes, & cœlo: pudeat noſtrorum temporum tyrannunculos, & Barones, eoſque, qui regijs opibus potiuntur, nefariæ rapacitatis, iniuſtiſſimarumque rapinarum, quas quotidie exercent in expilandis monaſterijs, & religioſorum familijs, cũ Boemundorum inclytum, venerandumq; nomen vna cum Robertis, Rogerijs, Guilelmis, Tancrediſque, excipiunt

Normannica ſtirpis encomium.

Barones vrgentur.

auribus,

auribus, inductoque ori rubore, faceſſant tandem, & ad bonam ſe ſe frugẽ recipiant, expulſa animis auaritia, & ſacra loca prædandi libidine, quorum tutela eſt penes Deum acerrimum ſcelerum vltorem, & prædatorũ præſertim ſacri theſauri, eccleſiaſticorũque bonorum. Miſerum me, atque infelicem, Normannorum progenies addictiſsima ſacris, numinibuſq; deperijt, interuallo cxxxv. annorum, poſt tot deſudatos labores, exhauſtoſque pro chriſtiana religione, poſt tot vaſtiſsimas ædificiorum moles numinibus conſecratas, poſtque ampliſsimos redditus, quibus religioſas familias excoluerunt, poſt tot obitas mortes, relata vulnera, effuſumque cruorem, poſt tot Ducibus, ac regibus fundatum imperium, ac latiſsime propagatum, & noſtri temporis tyrannunculi, Reges, Dynaſtæque, ſtirpem ſuam in longum æuum duraturam exiſtimant, ſacro auro, ſacriſque fortunis abutentes, & nefarie cęnobiorum, tẽplorumq;

Normannorum ſoboles intra centũ, & triginta quinq; annos extincta.

Barones, potenteſq; auaritia obcæcati malis ſuis indormiunt.

plorumque ſpolijs inhiantes, ſacerdotij illuſores, immunitatum violatores, & ſacri habitus oſores, cruentas manus a viſceribus vaxallorum transferentes ad deuaſtationem altarium, rapinaſque ſacrorum latifundiorum pijs locis attributorum, cum tamen faces, laruaſque furiales, & diras penatibus inferant, furijs agitati perennibus morborum, aut infeliciũ ſucceſſuum, rebellionum, occidendęue ſine ſucceſſoribus ſtirpis, internarumue cogitationum, inter æſtuantis animi fluctus, euripoſq; ; indigni profecto Chriſtiano nomine, & Saracenis, Turciſque ſceleſtiores, auent tamen pro ſe, ſtirpeque fundi preces, & numini conciliari, iubent etiam, adhuc grauidata piaculis animã, nec ad reſtituenda bona pijs locis inflexa, aſsidunt primi ante aras, in ſuggeſtu alte ſublato, belluatiſque tapetibus inſtrato, cum molliſsimo puluinario, dari ſibi thus, & reliqua dignitatum volunt, tumidi in orẽ vulgi,

Bona Ecclesiaſtica exitium occupatoribus afferunt.

Baronum mores.

vulgi,& glorioſi,popularibus,ſpecie pietatis, in uenerationem ſui impulſis. Sed regrediamur ad beatum Nilum tam principibus cultum, venerandumque,quam locijs, monachiſque demiſſum, intelligebat enim vir prudentiſsim⁹, & ſuperiori Nilo per ſimilis,ſanctorumque patrum imitator eximius, in chriſtiana diſciplina demiſsionem præcipuum eſſe bonorum, ac fundamentum, quo cæterarum virtutum ædificium rectiſsime, ac firmiſsime ſtabilitur, nullis ambitionis, nullis auaritiæ, nullis libidinis,aut arrogantiæ flatibus,ac turbinibus quatiendum, aſperitatem victus, duritiem veſtis, ſomni, cibique abſtinentiam non ad auram popularem, captandumque principum fauorem, ſed ad premendos incompoſitos animi motus, aut aduerſus ſpiritum inſoleſcentes vſurpabat, non ſecularibus negotijs ſe vltro ingerere, aut ſectari regias, & cubicula principum, molli ad adulationem

B. Nili laudes.

Demiſſio ſumma virtutum in monacho.

ſermone,

ſermone,& geſtu ambitioſo, vt a qui buſdam hodie (en ſine medicina malum,en occultiſsimi vi veneni internecatæ animæ) vſurpari videmus, ſpecie ſanctitatis, & horridioris veſtitus, vultuſue amarioris, inducto pallore, in arcana principum, in gynecæa, atque in Rempublicam irrepentibus,ambitione exanguibus,animo prætumidis, graui ſupercilio incedentibus, cum contemptu proximi,tanquam ſceleribus fœdati, cuncta ſibi licere perſuadentibus, & altiſſima denique quæque cupientibus prætenta pietate. At non ita Beatus Nilus, ſpretor terrenarum rerum,cæleſtibus aſſidue inhiare, nec regum amicitiam,piumq; eorũ obſequium, in ſuperbiam vertere, aut abuti in aliorum detrimentum,aut dignitates ſibi comparare, verum corrigere vitia regnantium, ſalutem animarum quærere, monaſterium amplificare, religioſi viri eſſe exiſtimabat; quem vtinam noſtri ſeculi religioſi inmitarentur,

Hypocriſis temporum noſtrorum.

B. *Nili actiones.*

D

Rogerius Siciliæ Comes. rentur. Rogerius Siciliæ Comes, ne ſuis pietate concederet, Nilum omni officio humanitatis, ac pietatis proſequitur, cum Gotthifredo filio, *Ex priuilegio. Anno ciɔcx* & Alymburga coniuge (ita in græcis priuilegijs, quæ cœnobio noſtro conceſſit,quæque apud nos ſunt, nominata,cum alij Eremburgam appel lent)Roberti Sanctæ Euphemiæ Comitis ſorore:hic eſt ille Rogerius bel lica laude præſtantiſsimus,& pietate inſignis,nobiliſsimi, ad ſuburbia Mi- *Rogerij pietas.* leti in Calabria, ſanctiſſimæ Trinitatis templi conditor vel ab Hipponio marmoreis translatis columnis, vbi corpus eius quieſcit, quod & ampliſſimis redditibus, & priuilegijs exornauit, hodie his fruuntur Græci in *D. Gregorij XIII. laus.* Collegio Græcorum, (quod Gregorij XIII. memoranda pietas erexit) diſciplinis ſtudentes, vt qui Sancti Spiritus proceſſionem a Filio, auita impietate,negarant, æqualis diuinitatis numine, ad veritatis agnitionem reuocati,patriam peruicaciam,

&

& toties iugulatam impietatem eiurent, Sanctiſſimæ Trinitatis impenſis nutriti, ſi liceat aliquando, bene ſperare de Græcis, quorum infauſtum iuſiurandum, fidemque periuram, nō raro experti ſumus, malo tamen eorum lamentabili, atque internecino, cum impietatis, abruptique toties ſacramenti pœnas acerbiſsime luant ſęuiſsimo iugo preſsi, & fœdum in ludibrium raptati ad omne ſeruitiũ.

Semper Græci periuri.

Rogerius alterum Normannicæ ſtirpis lumẽ, & ſuorum clariſsimus, poſt Simonis fratris, ex Adelaſia altera Rogerij Comitis vxore geniti mortem, Neapolitano, Siculoque regnis potitus, quantum Nili ſanctitati detulit, confirmatis priuilegijs maiorum, Sancto Carbonenſi cœnobio conceſsis, & auctoritate ſua roboratis? addidit inter cætera hoc ipſe priuilegium.

Rogerius Rex Siciliæ.

Rogerius S. Nili vitã, moreſque magni facit.

ROGERIVS DEI GRATIA Rex Siciliæ.

CVM deceat Imperium noſtrum petitionem omnium adimplere, Religioſis tamen, & Sanctis viris, Deum pro nobis ſemper placantibus, multo dignius eſt obſequi, & ſatisfacere, per quod etiam Deus ipſe maximè colitur. Hinc eſt quòd cùm Sanctiſsimus Pater Nilus Abbas Monaſterij Sancti Martyris Anaſtaſii cognomento de Carbono, exiſtente Serenitate noſtra in Ciuitate Tarenti, ad nos veniſſet, & priuilegia ſibi conceſſa à fœlicis recordationis Domino Roberto Guiſcardo Illuſtriſsimo Duce, & à filio eius Boamundo, necnon à Ricardo Siniſcalco, & Albenda eius vxore, & à piæ memoriæ Regina, & eius filio Boamũdo nepote noſtro, ac etiam Priuilegium noſtrum, quod ei prius conceſſeramus, oſtendiſſet; à nobis petijt, vt hæc omnia per Priuilegium ab Imperio noſtro ſibi confirmarentur. Quibus apertis, & diligenter conſideratis, indecens, & indignum iudicauimus huiuſmodi Sancti Viri petitionem, animæ, & corpori admodum vtilem reijcere; eiq; aſſentiri

tiri nolle. Quapropter eius petitioni annuentes, omnia prædicto Monaſterio prius conceſſa, & ab eo obtenta, & iuſtè poſſeſſa, iuxta ſuorum Priuilegiorum tenorem confirmamus, & approbamus, quatenus ea omnia inuiolata habeat, & poſsideat ſemper, & in perpetuum vſque in ſæculi conſummationem. In*ſuper omnibus ſub poteſtate noſtra degentibus, Principibus, Præfectis, & reliquis Imperij noſtri Agentibus, præcipimus, vt nullam facultatem immutandi, perturbandi ea, quæ iuſtè prius obtinebat, & poſsidebat Sanctum Monaſterium iuxta ſuorum* P*riuilegiorum (vt ſupra diximus tenorẽ) habeat.* Si *quis aũt hoc attẽtare præſumpſerit, nõ ſolũ maledictionem Sanctorum* P*atrum, verum etiam indignationem noſtram ſe nouerit incurſurum. Hæc verò etiam ab hæredibus noſtris, & ſucceſſoribus confirmari, & vſque in ſæculi conſummationem durare decernimus. Ad maiorem autem fidẽ, & abũdãtiorem prædictorum cautelam, præſens Imperij noſtri* P*riuilegium ſigillo plumbeo communitum, præfato Monaſterio, & eius Abbati, & Succeſſoribus eſt conceſſum. Die 13. Menſis Maij Anno 6640.*

Rogerij regis preconia. Magni, admirandique animi Rogerius fuit, felicia, infauſtaque expertus, & inferendis, propulſandiſq: bellis diu exercitus, Eugenio iij.* admirabilis principe demiſsionis, ac pietatis, ad Syriaca bella, Europę reges ciente, Rogerius cum Neapolitanam ditionem recuperaſſet, iã Lotharij Auguſti armis, Pontificio imperio adiectam, religione, & celſitudine animi inflammatus, arma aduer *Rogerij res geſta.* ſus Emanuelem Græcorum Cæſarem maligne, nefarieque exercitus noſtros retardantẽ, & dolis infeſtantem, maiorum non abſimilis, tranſtulit, expugnatiſque Corcyra, Thebis, Eubœa, Corinthoque, Sarracenorũ claſſem victricem, inflatis animis, & contẽto curſu aduerſus noſtros properantem fudit, fugauitque, Ludouico Francorum rege impiorum manibus exempto, aggreſſuſque Conſtantinopolis ſuburbia, incẽdio cremauit, tam contemptim in Græcos *Rogerij audacia.* inuectus, vt auguſtale palatium oppugnans,

pugnans, poma regijs in hortis manu ſua decerperet, vel ſpectante Emanuele, iactaretque aureas, argenteaſque ſagittas, vrbi minitans, & latiſsime victor, Græcis ſummum in terrorem coniectis, cum paulo ante Africam eodem impetu deuaſtaſſet, Tunetano rege ſibi ſtipendiario facto, vaſtataque Punica ora, & Melita in Lybico mari, imperio adiecta, & ne iterum maureſcerent accolarum animi, valido præſidio firmata, datiſque chriſtianis legibus. Fortunatus rex, non tam rerum felicitate geſtarum, quam ſanctiſsimi viri affatu, ac precibus æterno numini conciliatus. Interim aucta regnantiũ pietate, augeſcunt etiam bona monaſteriorum, emitur a Beato Nilo Calabræ caſtellum, quingentis aureis, pretio Alexandro, & Riciardo germanis, Claramontis dominis ſoluto, quorum pietate Pharaclum caſtellum, cœnobio contributum fuerat, immune, atque omni onere liberum,

Maureſcere, vox noua, ac ſi diceres, tranſire ad ſacra Maurorum ſacris initiari ac fadari.

Calabra caſtellum emitur a B. Nilo.

exemptumque ſed apponamus inſtrumentum alienationis.

✠ Signum manus Alexandri Domini Terræ Claromontis.

IN nomine Patris, *& Filij, & Spiritus Sancti. Ego igitur prædictus Alexander Dominus Claromontis, qui mea propria manu hic ſupra ſignum venerandæ, & ſalutiferæ Crucis cum meo nomine ſcripſi, facere volui tibi patri Nilo Abbati Monaſterij de Carbono, tuisq; ſucceſſoribus hanc veram, perfectam, & iuſtam alienationem noſtræ Terræ, quæ dicitur Calaura. Cum enim audiuiſſem* Dominum *Ricciardum meum fratrem tibi douauiſſe dictam Terram Calaurā, moleſtè tuli, cùm ab initio rei veritatem mihi non dixiſſet. verùm quia deinde ab eodem veritatem intellexi, qualiter dictus Dominus Ricciardus meus frater vendidit tibi dictam Terrā Calauræ, tuque ei ſoluiſti pretium, & valorem, ideſt quingentos ducatos. Cùm igitur hæc audiuerim, ſtatim acquieui, & dictam alienationem gratam habui, quam dictus meus frater fecit vobis Patri*

tri Abbati Nilo Monaſterij delli Carboni, veſtriſq; ſucceſſoribus, nec aliquo pacto voluntati mei fratris contrauenire intendo, ſed potius eam adimplere, habeoque ratam, & firmam dictam venditionem ad omne futurum tempus: quinimo vt habeatis, & poſſideatis dictam Terram cum omuibus ſuis iuribus tù tuique ſucceſſores, eam vobis trado, vt quemadmodum antea habebatis dominium à meo fratre, ita à nobis habeatis liberam, & abſque ulla exceptione in perpetuum. Si quis autem aliquando ſiue ego, ſiue meus frater Dominus Ricciardus, ſiue alij noſtri conſanguinei, moleſtauerint vos, aut perturbauerint Eccleſiam, ſint maledicti à Deo omnipotẽte, & à cccxviij. Sanctis Patribus, habeatque laqueum Iudæ proditoris, ſintq; condemnati ad ſoluendum magnæ Curiæ duplum, totidemq; dicto Monaſterio delli Carboni, dictaque venditio ſit firma, & ſtabilis vſque ad finem ſeculorum in ſancta Eccleſia delli Carboni, quæ veditio ſcripta fuit de mandato noſtro, manu Gregorij noſtri Notarij, in Claromonte coram infraſcriptis teſtibus fide dignis, Anno 6643. Indict. 3. Menſe Maio 16. Aſgerius Iudex Claromontis teſtis ſubſcripſi.

Grego-

Gregoriut Forginus teſtis ſubſcripſi.
Bianus Stratiota Syneſi teſtis ſubſcripſi.
Raus Barberius teſtis ſubſcripſi.
Dominus Vitalis teſtis ſubſcripſi.
Dominus Obolonus Stratiota teſtis ſubſcripſi.
Aſcetinus Viaggio teſtis ſubſcripſi.
Robertus Romanus Signo Crucis ſubſcripſi.

Ex priuilegio Anno. ciɔcxxix. & anno ciɔcxxv.

Ex Ceſſione litis Anno. ciɔcxxix.

Ex priuilegio Anno ciɔccix

Ex priuilegio Anno. ciɔcxciij.

Poſsidebat tunc monaſterium ditiſsimos, ac feraciſsimos Scanzanæ agros cum pago, & æde ſanctiſsimæ Genitricis, duorum quoque fratrum dono, ſimul & ædem Sancti Protomartyris Stephani de Azupa, cedente Luca Rapari Abbate, & Sancti Nicolai de Trypa, liberalitate Trottæ Altrudæ filiæ, Dominæ Oppidi Myromanæ, fortaſſe Normanna dici debet a Normannis condita, & in oppido Rotundulæ ædem Sancti Andreæ Apoſtoli, quam hodie Sanctã Sophiam appellamus, nuper impenſa Iulij Antonij Sanctorij Cardinalis inſtauratam, dono Guilelmide-Campa-

Campania, loci domini, & Tyganæ ædem Sancti Philippi Apoſtoli de Beniamin, a Giumarcha loci domina, & Craci ædem Sancti Laurentij ab Arnaldo Iſibardis filio, & Sanctæ Marinæ, ac Sanctæ Barbaræ in oppido Montis Albani a Roberto Tortemāno loci domino,& Sācti Iacobi in Caſtro Sarconi a Roberto de Tullo,cum prius Sanctiſsimæ Trinitatis diceretur,Leonis Grumentini,& Ioannis Marſicani Epiſcoporum auctoritate accedente, & Sancti Michaelis Archangeli in Caſtro Nouo, ſeu Battabarani, & in Oppido Cyrclarij Sanctorum quadraginta martyrum, in loco, qui dicitur Sclauorum, & Sancti Ioannis de Praſtia, a Guilelmo de Moliſſa loci domino, cui magnificentiora Alexander filius Donnaroncæ, & gener Guilelmi de Claromonte fuerat elargitus & Sancti Nicolai de Venetia, ac Sancti Zachariæ in Caſtro Silicenſi, a Guilelmo Marcheſio & Cęcilia coniugibus

Ex priuilegio Anno cIↃxxc.

Ex inſtrumento donationis. Anno. cIↃcv.

Ex priuilegio Anno. cIↃccxix.

Ex priuilegio Anno. cIↃcxxxiv

Ex priuilegio Anno. cIↃcxxxiii

Ex priuilegio Anno cIↃclvii

Ex inſtrumento donationis Anno cIↃxcix. et Anno. cIↃcii.

Ex priuilegio Anno cIↃxcij

Ex inſtrumento conceſsionis Anno. ciɔcxcv. Ex inſtrumento donationis. Anno ciɔcv. & Anno. ciɔclxxiij.

bus loci dominis,& Sãctæ Aecatharinæ Virginis,& Martyris, Sanctorũ Chriſtophori, & Theodori martyrũ, in caſtro Myromanæ, a Petro loci domino,& Barij Sancti Simeonis, donantibus Elia, & Raynaldo Archiepiſcopis,& Sanctorum Philippi, & Iacobi, in Caſtro Sancti Quirici, & Sanctorum Philippi,& Iacobi, in Oppido Syneſij, & Sanctiſsimæ genitricis, Apoſtolorumque Principis in Caſtro Pollicorij, ab Aluereda loci domina, ſimul & ædem Sancti Nicolai de Pertuſo,quæ omnia tem pla latiſsimis florebant fundis.proh dolor quę, & quanta amiſimus, rectorum incuria,& rapacitate vicinorũ? vix pauculæ reliquiæ ſuperſunt, quas cum dirutas ſtrataſue reperiſſet patruus meus,inſtaurauit, aut de integro erexit,nulla impenſa deterritus, & in opido Tarentino Conſtantia magni vxor Boemundi ædem Sancti Bartholomæi Apoſtoli conſtruxit, donauitque.ſed apponamus

Ex priuilegio Anno ciɔcxij.

filij

filij diploma B. Nilo conceſſum, ad decus eminentiſsimæ pietatis, filij, matriſque.

Priuilegium factum à me Boamundo filio,& hærede Illuſtriſs. Principis,& felicis recordationis Boamũdi,& conceſſum tibi Sanctiſs. Nilo Abbati venerandi Monaſterij Sancti Martyris Anaſtaſij de Carbono,& omnibus in dicto Monaſterio Succeſſoribus tuis. Anno 6634. menſe Ianuario, Indictione Quarta.

QVoniam Clariſſima & ſemper memoranda Domina mater mea Conſtantia,cùm adhuc viueret, tamquã religioſa, & animæ ſalutem quotidie curans,ac pio deſiderio, & diuino amore detenta, in mente habuit ſacrum templũ Sancti & glorioſi Apoſtoli Bartholomæi,quod eſt in Ciuitate Tarenti,fabricare; & illud pro ſalute animæ prædicti patris mei,ſuæ, & noſtræ; ac etiam pro animarum ſalute omnium cognatorum

ſuorum

ſuorum poſt ſe, in Monaſterium erigere, & bene quæ in eo ſunt, adminiſtrare. Quare, & mentem ſuam ad honorem Dei adimplere feſtinans, in prædicto tẽplo de conſenſu, & hortatu Rainaldi eo tempore Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Tarenti, Aloiſiam quandam religioſam Monacham Abbatiſſam conſtituit. Verum quoniam diuinum hoc templum iniuria afficiebatur à quibuſdam, qui res nouas molientes bona, & facultates illius occupabant; cùm hanc iniuriam diutius Ipſa ferre non poſſet; templum ipſum defendere, & rem illius afflictam rectè diſponere, & iura ſua Eccleſiæ reſtituere decreuit. Quibus omnibus per eam ad optatum finem redactis; bona vniuerſa iuſtè defenſa, & obtenta dictæ venerandæ Monachæ tradidit. Quæ etiam ad longum tempus, hæc omnia obtinuit, & poſſedit vt domina, cum augmento, & vtilitate Eccleſiæ. Sed cùm diuinum quoddam deſiderium ei in animum veniſſet, deuotionis gratia, Hieroſolymam petere, & in illis ſanctiſsimis locis vſque ad ſuæ vitæ finem commorari, his omnibus relictis, eò ſe contulit; interea vero Domina mater moriens, ad Deum eſt profecta. Nos igitur illius conatum,

natum, & deſiderium Deo gratum, & animabus noſtris vtile, imperfectum relinquere nolentes, ne forte huiuſmodi negligentia iram ipſius Dei contra nos prouocemus; & quod pro animarũ noſtrarum ſalute eſt inſtitutum, in earundẽ detrimentum commutemus: Omnia hæc tradidimus tibi ſanctiſſimo Abbati Nilo, qui præfatæ Eccleſiæ poſſeſſum, & adminiſtrationem à Reuerendis Clericis maioris Eccleſiæ prædictæ Ciuitatis Tarenti canonicè, & legitimè iam accepiſti; videlicet à Reuerendis Ioãne Archidiacono, & Bernardo Primicerio, & omnibus Clericis Eccleſiæ prædictæ. Tradidimus autem tibi omnia bona ad præfatam Eccleſiam ſpectantia, & attinentia tam in Ciuitate Tarenti, quam extra existentia, quemadmodum fel. rec. mater mea iuſtè illa defendit, & vicit: & Monacha prædicta, nocte, dieque ea obtinuit, & poſſedit, & eorum domina fuit. Quorum omnium poſſeſſum, & poteſtatem tibi dedimus in præſentia Reuerendiſsimorum Dominorum Gualterij Archiepiſcopi Barij, & Petri Archiepiſcopi Hydrunti, & Bagelardi Brundusij Archiepiſcopi; nec non in præſentia Alexandri Comitis Cuperſani, & Ta-

græ eius conſobrini, & Roberti Comitis Poletini, & Rogerij de Montibus Conteſtabilis noſtri, & Gulielmi filij Dauid, & Saphræ, & Vui Talabotti, & Roberti de Sais moderni Agentis Ciuitatis noſtræ, vt eam Eccleſiam habeas, obtineas, poſsideas, & gubernes piè, & in timore Dei, tu, & omnes tui ſucceſſores. Si quis autem ex omnibus viris, qui ſub nobis exiſtunt, vel ex hæredibus, ſeu ſucceſſoribus noſtris, præſens Priuilegium à me ad animarum noſtrarum vtilitatem, & Dei timorem factum, irritum habere, & in aliquo immutare, ſeu alterare tentauerit; primum quidem indignationem noſtrā ſe incurſurum, deinde verò quinquaginta libras auri Veſtiario, & Cameræ noſtræ, & alias quinquaginta Eccleſiæ prædictæ, tibique, & tuis ſucceſſoribus ſe nouerit ſoluturum. Nos verò ipſi, vel hæredes noſtri, ſeu ſucceſſores, ſi eorum, quæ nobis optima viſa ſunt, in aliquo tempore nos pœnituerit, ita vt ea irrita facere, vel infringere velimus, indignationem Dei, & Sanctorum, ac Venerandorum Patrum, & ipſius Apoſtoli maledictionē incurramus: præſenti priuilegio firmo, infracto, & in robore ſuo nihilominus in perpetuum duraturo.

Quod

Quod ad abundantiorem cautelam, & maius robur de mandato meo, manu Michaelis Notarij mei ſcriptum, & plumbea bulla mea ſolita communitum, necnon ſubſcriptione mea roboratum, traditum, & conceſſum fuit tibi, Menſe, Indictione, & Anno ſupradictis.

† BOAMVNDVS.

† *Signum hoc Crucis feci ego Rogerius de Montibus, Domini Boamundi Comiſtabulus propria manu ad confirmationem præſcriptorum.*

† *Signum hoc Crucis feci ego Safredus ad confirmanda ſuperius ſcripta.*

† *Signum hoc Crucis feci ego Robertus de Sais ad confirmationem præfatorum.*

† *Signum hoc Crucis feci ego Tuſtanus propria manu Quiangotæ filius.*

† *Coruus de Similia per ſignum Crucis præſcripta firmat.*

B. Nili mors. Cæterũ Nilus cum ad vltimam ſenectutem perueniſſet beato fine quieſcit. Subſequuti Blaſius, Lucas, *Bartholomæus, Blaſius, et Hilarius Abbates.* Bartholomæus, Hilarius, & Bartholomæus lumina monachorum, præpoſiti Carbonenſi Cœnobio, quantum apud reges Rogerium, Guilelmum, & alterum Guilelmum, Tancredum, & Rogerium, ac Conſtantiam Auguſtam & Fęderi cum filium profecerunt in ſalutem animarum, & auctum monaſterij? certauere pijſſimi reges benefaciendo cum illis, tanta antiquitati inerat liberalitas in fana cælitum, quæ modo frigeſcit in animis regnantium, ſuis dumtaxat rebus conſulentium, atque e reipublicæ rationibus cuncta expendentium; vel aduerſus Deum, & proximum, malũ inſitum animis mortalium, & omni viro crudelius, & per manus poſteris tradendum, ſine remedio, ad excidiũ *Blaſij breue æuum.* mortalitatis duraturum. Blaſio Archimandritæ haud diuturna lux fuit, claro nomine apud omnes inſignibus

coru-

coruſcanti virtutibus, & demiſſione præcellentiſsimo, Lucas & ipſe canitie verendus & morum ſanctitate cō-ſpicuus in monaſterij præfecturam euehitur, inuitus, & precibus monachorum coactus, Beati Nili virtutum imitator præcipuus, cui a grauitate morum, vultuſque, & pietatis, Religioſi cognomen fuit, legitur Guilelmi priuilegium illi conceſſum his verbis. *Lucas cognomē to religioſus.*

IN nomine Dei æterni, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Gulielmus Diuina fauente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Ad noſtram ſpectat ſollicitudinem, Dei Eccleſias, ab ipſo defenſi, defendere, earum poſſeſſiones augere, perturbantes ipſas potenti brachio conterere. Nobis itaque in Palatio Vrbis Panormi de more reſidentibus cum Comitibus, & Magnatibus noſtris, Lucas Venerabilis Archimandrita Monaſterij Carbonenſis preces humillimas, & deuotas clementiæ noſtræ fudit, vt Priuilegium quoddam à Genitore noſtro Illuſtriſsimo Rege Rogerio prædeceſſori-

 bus

bus ſuis, & eidem ſuo Monaſterio factũ, græcis literis ſcriptum, menſe Madij decimæ Indictionis, ſibi piè renouari, & noſtro ſignaculo decorari, noſtroq; Sigillo roborari, iuberemus. Nos itaque ſolita conſuetudine ad pia prouocati, volentes ſemper deuotos actus prædicti Domini, & Glorioſiſsimi Regis patris noſtri beatæ memoriæ, perenni obſeruantia celebrari, Priuilegium ipſum, paternis liberalitatibus ſibi conceſſum, eo modo, vt ſcriptum eſt confirmauimus, ſaluis tenoribus, & conditionibus in eo deſcriptis. Ad huius autem noſtræ confirmationis robur, & inuiolabile firmamentum, præſens ſcriptum per manum Sauli noſtri Notarij ſcribi, & bulla plumbea Regio noſtro Sigillo impreſſa inſigniri, & Signaculo noſtro decorari iuſsimus.

Ex priuilegio Guilelmi Anno ciɔclıv.

Magno Rogerio Panormi mortalitatem explente, Guilelmus ex Eluira genitus, collega imperij a genitore allectus, & diademate coronatus, poſt Rogerium Apuliȩ ducem, & Amphulſum Principem Capuanum filios extinctos, paterno in ſolio locatur,

Guilelm' Rex.

tur, acerrimi, & pugnaciſſimi animi iuuenis, Pontificia arma laceſſens, & aduerſus rebelles indomito vigore, iniurias non ignaue vltus, doctus aduerſis, fauſtiſque rebus moderari fortunam, & regnum, captiuitatem, carcerem, & coniurationem perpeſſus, auarior, & tenacior pecuniæ, quam regium decet animum, eſt habitus, Græcos, Apuloſque apud Brunduſiũ, caſtra habentes, & infeſta populatione proximos terrentes, adortus in fugam compulit, inde tranſgreſſus in Aegyptũ, Syriamque, veſtigia maiorum ſequutus, opemque Syriacis rebus nimium afflictis laturus, Sarracenos multis in locis cæcidit, agroſque vaſtauit, ac Ptolæmaida expugnauit, ingenti præda exercitu ditato, regredientem ex Syria, circumuenere Græci ingenti claſſe ſuffulti, nec Guilelmus animos dimittit, conuerſis proris acerrime concurſum eſt, pugnatumque obſtinatiſsime, nec atrocioribus vnquam iris, odijſque, ſuperabãt

Guilelmi fortuna varia.

Guilelmi victoria.

Guilelmi tranſmarina expeditiones.

Nauale prelium.

multitudine nauium Græci, ſed Guilelmus anguſtijs loci, ne penitus circumueniretur, & militum virtute, & gloria rerum geſtarum iuuabatur, *Græcorum clades, & fuga.* Græci, centum quinquaginta nauibus amiſſis, ſaucij vulneribus, & aduerſariorum audacia ſuperati, ſe fugæ mãdauere, ceſſa hoſti maris poſſeſsione, Guilelmus maioribus æquatus, ferventibus inter Alexandrum iij. & Fęderică Aenobarbum tumultibus, Eccleſiæ fidus, & ſtipendiarius, ſe Alexandro aſſociauit, Octauianum Pſeudopontificem execratus, mittit Tarracinam naues, quibus Alexander, *Guilelm' Alexãdri cauſſæ fautor aduerſus Fædericum.* Romanorum ſeditionibus, & Fæderici inſidjs ſubtractus, in Franciam, quo deduci cupiebat, deferretur, indicto apud Claromontem in Aruernis Cõcilio, aduerſus Fædericum Eccleſiaſtici imperij turbatorem, hoſtem ferocem, & indomita vi animi terribilem, pugnaciſsimumque: ſed res Romana nunquam a numine ſegregata, Alexandrum votorum compotem fecit,

cit Fæderico ſuppliciter veniam petente, & Pontificis pedibus ſubſtrato, Guilelmus ad otium, & voluptates reuolutus, internis motibus compreſſis, & foris apud exteros pace parta, rapinis, & crudelitate graſſatur, cumulando auro intentus, tanta libidine, ſitique, vt in pretium equi generoſiſsimi, aureus vix nummus in vniuerſa Sicilia repertus fuerit; ſed moritur, haud expleto voto, quinto, & quadrageſimo natus anno, nec tamen nummorũ aceruis ſe ſe faucibus mortis ſubtraxit, aut diſtulit ſupremum diem. miſeri mortales quanto auaritiæ æſtu exardeſcimus, hæreditario malo, & mortifere ſauciati nullam quietem nanciſcimur, cum tamen vel nobis inuitis moriendum ſit, ne puncto quidem temporis ab vrgente morte impetrato. Num Marcum Craſſum aggerata auri pondera a ſagittarum iactu, in terra hoſtili, protexere? an Calipham illum Babylonicum, ſiti gemmarum æſtuantem, inſanientem-

Guilelmi auaritia.

Guilelmi mors.

Auarorũ exempla miſere defunctorũ.

que radiantes fulgore lapidum, aurique, Babylonicæ aulæ muri, ab ingruentis Halaonis Tartarorum Regis impetu eripuere vel auaritiam execrante victore? quanto his ſapientior Saladinus, clade noſtrorum clariſſimus, inuicti nominis princeps, quantoque laudabilior, ac celebratior vox eius in funere decantata, morientis iuſſu, nihil ab ſe deferri ad inferos, quam ſordidam atri coloris tunicam, in lancea prælatam aſſerentis? ſileat omnis veterum Pharaonũ memoria, nec Seſoſtris ille regum domitor, regijſque ceruicibus vectus, aut quiſquam Ptolemęorum ſe ſe iactet, in cõparatione Saladini, maiorem non tulit Aegyptus, vtinam principes noſtri, morientis dictum animis infigerent, ac nouiſsima humanæ ſortis proſpectarent, turpiter ab ethnico ſuperantur, & religionis, ſuique obliti, alienas fortunas auidiſsime anhelant, aut nefarie rapiunt, numine prætento, aut amore ſubditorum,

Saladini laus.

his

his armis miſere iugulamur, & inulti, ne gemitum quidem in funeribus bonorum vſurpantes. Guilelmum, lætis ſubditis, morte ſubtractum, luxere Sarracenæ mulieres, ingenti ad tumulum eiulatu, ex more gentis, abſtruſa cubiculi, aulæque Saraceno Eunucho intrante, duo Guilelmi filij, Guilelmus Regno, vti maior natu, & Henricus Campano principatu potiuntur, Margarita matre, ex teſtamento viri, ambobus rectrice data: ſed muliebre imperium æmulatio aulica, & ciuiles in Sicilia motus diu cluſere, donec Guilelmus iuuenta firmatus, cuncta in ſe traxit, animi ingentis, decoræ proceritatis, & frontis auguſtæ, ſenili, in flore pubertatis grauitate fulgentis, auitæ virtutis, ac pietatis memor, paternis vitijs repudiatis, cumulatos theſauros paterna auaritia, in piorum ædificiorum vſus, claſſeſque moderate diſtraxit, a numinum cultu, & pontificiæ maieſtatis obſequio, auſpicatur imperij initia, ornatiſſima claſſe

Luctus in funere regis.

Margarita Guilelmi mater.

Guilelmi virtutes.

Alexan-

Guilelm' Pontifici fidiſſimus. Alexandro ſubſidio miſſa, qua Venetias veheretur, quo Aenobarbus, damnata peruicacia, properabat in amplexum parentis generis humani, offenſo numini ſatisfacturus, pace compoſita, regredientem Alexandrum eadẽ claſſe, Sipontino portu venerabundus excepit, inde Andronici Græcorum Cæſaris iniuria permotus, Italici generis homines perſequentis, occupato Conſtantinopolitano imperio, arma in eum mouit, expugnataq; Theſſalonica, Macedoniã, Thraciamq; effuſa populatione vaſtauit, hoſte mœnibus occluſo, nec martem experiri volente: inde inſtructiſſima claſſe cõparata, in Africam curſum direxit, Ioſephum Maurocchi regem bello perſequutus, ſeque in amplexum dantẽ cruento prælio fudit, fugauitque, filia regis in ſeruitutem abducta, nec vllo eam redimi pretio eſt paſſus, donec Leptis ĩ Africę ora, vrbs nobilis, olim ab Abdulmahomete Afrorum rege, Guilelmo patri intercepta, ad quem

Guilelmi res geſta.

Guilelmi victoria.

etiam

etiam Gaitus Petrus Eunuchorum præcipuus, initio principatus, cum ingenti theſauro transfugerat, procerum ſeditionibus agitatus, redderetur. His rebus geſtis Guilelmus non contẽtus, animum Syriacis rebus applicuit, audierat namque Tyrum vrbem clariſſimam, magnorum matrem populorum & vetuſtate originum celeberrimam, multiſque rebus geſtis inſignem, a Saladino grauiſſima premi obſidione, nec procul excidio eſſe, Corrado Marchione Ferratẽſi vix mœnia tutante, ſimul & reliquam Chriſtianorum in Aſia ditionem nutare, nec paruo in diſcrimine verſari: quamobrem permagna coacta claſſe ingentes copias in Aſiam tranſmiſit, Saladinumque iuſto ferociorem, re infecta, ab obſidione abſcedere coegit, ſed Guilelmi animum cæleſtia meditantem, & veris inhærentem bonis, deque proximi ſalute, ac ſubiectorum ſollicitum, quod vere pij, ac chriſtiani votum eſſe debet, & regum præſer-

Guilelmi Syriaca expeditio.

Guilelmi in proximum caritas.

præſertim, ad quorum normam orbis componitur, ambederat cura erigendæ, ac reformandæ regulæ Sancti Baſilij, quæ multis in locis Calabriæ, Apuliæ, Siciliæq: labefactata ruebat, relanguente in animis monachorum, priſtino ardore benemerendi de numine: ergo iuſsu Regis Bartholomæo demandatur B. Lucæ Religioſi in præfectura Carbonenſis cœnobij ſucceſſori, viro inſignis doctrinæ, & ſanctitatis, excellentiſque præſtantiæ, tradita ampliſsima poteſtate, vt videret, ne quid Baſiliana diſciplina detrimenti caperet, redderetur que priſtinæ dignitati, ac ſanctimoniæ, extat reſcriptum honorificentiſsimum, laudata Carbonenſis cœnobij diſciplina, morumque integritate, cum præconio monachorum. Heu quantū a maioribus degenerauimus, audiant hoc piorum deceſſorum animæ, proſpectent ſydereis e ſedibus, degeneres actiones noſtras, auerſaſque a vera virtute, ac præſtito iureiurando, ad

Cura reformandæ regulæ Bartholomæo demandata.

Ex reſcripto Guilelmi regis. Anno ciɔclxvij.

Degeneres poſteri.

inania

inania voluptatum, cum perturbatione omnium defluxiſſe, inhęſiſſeque, nullo cæleſtium metu, nulla verecundia deterritas, ſi cœleſtes humanis affectibus eſsēt obnoxii quāto profecto angerētur dolore, contemplantes ſudoribus ſuis, atque vigilijs, & aſperrimæ vitæ ratione, ſtrauiſſe (contra vota) ſubſequentibus vias ad præcipitia, interitumque. Ideonè ipſi perenni corpora inedia macerauere, vt nos quotidianis conuiuijs, cœniſque baccharemur, ideone poſſeſsiones parauerunt ampliſsimas, vt nos canū greges, falconumque aleremus, parſimonia victus, veſtituſque, redditus auxerunt, vt nos in veſtium pompa, ornatuque abſumeremus, templis ſanctiſsimis in ſqualorem abiectis, ſine lumine, ſine cereo, ſine ſupellectile, ſine honore, mœrentibus defunctorum vmbris, & pie lugentibus? taceātur infanda, ſubtrahanturque ex mortalium auribus, oculiſque, iuſto Dei iudicio, ſeruanda. Bartholomęus

feliciter

B. Bartholomæi dexteritas.

feliciter demādatum munus exequutus,magnam apud regem & procerū ordinem laudem promeruit, nulla apud monachos offenſa contracta, tantæ erat demiſsionis, humanitatiſque,cum tamen dignitatem perſonę, & diſciplinæ auſteritatem retineret, terribilis bonorum Eccleſiæ occupatoribus,quos non raro apud Regem, Curiamque exagitauit, apud Tarentum mire auctis cœnobij redditibus. Obijt ſanctitatis fama celebris,veneranduſque, maximo apud regem, apud potentes,apud monachos, ſubditoſque ſui deſiderio relicto, nec cuiuſquam memoria verioribus lacrymis, à cunctis ordinibus eſt deplorata, aut funus frequentiori populorū concurſu,ſtudioq;celebratum,pręoccupatis omnium animis opinione ſanctitatis, virtutiſque. Sequuntur tempora acerba illa quidem, & Italię pene ſuprema, ſed Sanctis Archimādritis auctoritatem non minuūt, præclarius apud impios reges effulgentibus.

bus. Guilelmo Rege in Sicilia fato functo, Tancredus Rogerij quondam filius, ex pellice genitus, non expectato conſenſu Romani Pontificis, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ, cuius iuribus ſubeſt Neapolitanum regnum, cum Sicilia, oborientibus in inſula motibus, nondum Sarracenorum lue purgata, capeſcit imperij habenas, acclamante populo, cum proceribus, indignatur Clemens iij. abſcindi tam nobile membrum ab imperio Apoſtolico, indigne fert, arma in Tancredũ poſcit, minas miſcet, intentatque; pugnatum aliquoties æquo marte, cum diſcrimine partium, ſed maior, ac terribilior hoſtis Pontificis animũ angebat, Saladinus Aegypti, Syriæq; Rex, immane auſus, noſtros grauiſſime vrgebat in Aſia, Sarraconis Medi filius, veterum Aegyptiorum, Parthorumque Regum æmulus, magnitudine animi excellens, conſilio, manuq: præſtans, vndique armorum terrorẽ circumferre, iuſta à noſtris acie ſuperatus,

Guilelmi obitus.

Tancred⁹ Rogerij filius.

Tancred⁹ rex acclamatur.

Bellum aduerſus Tancred.

Saladin⁹ Aegypti Rex.

ratus,

ratus, volonibus ſuis magna ex parte conciſis, in Meſopotamiam irruperat Edeſſa expugnata, protritiſque Parthorum pharetris, iniectoq; Orientis gentibus terrore, Indorum regna cõcuſſerat, multiſque auctus victorijs, minacior noſtris inſtare. Profecti ex Europa Fædericus Aenobarbus, (qui cruentiſsime, impieque arma, nomenque Pontificium vexarat, malo ſuo, funeſtiſſimis prælijs, periculiſque defunctus) & Philippus Auguſtus Franciæ, & Riccardus Angliæ reges cum magnis exercitibus, opibuſque & flore nobilitatis ſuſtinuere in Syria labantes Chriſtianorum res, ſed in Lycaonia, apud Iconium, Aenobarbo Ferrei fluminis aquis abſorpto, orta inter reges diſcordia, Hieroſolymam haud exempta Barbarico iugo, capta antea à Saladino non ſine ignominia noſtrorum, hoſtiſque triumpho, qui magnifice victoria vſus, ad Tiberiadem, Vidone Luſiniano, acie victo, captoque, rem Chriſtianam vehementer

Expeditio transſmarina.

Aenobarbi mors ſunt multi qui in Armenia, Serra flumine abſorptũ ſcribant. iij. Id Iunias alij Selephio amne in eadem Armenia.

Saladini victoria.

menter attriuerat. Cæterũ Tancredo non ignaue imperium, ſeque contra mortalium opinionem, cum mollis ac bardus exiſtimaretur, nec rerum põderi par, non raro a Guilelmo ſtoliditatis, atque ingenij tarditatis increpitus, defendente, moritur Clemens, illum Cæleſtinus iij. excepit, diuturnus Italiæ malorum auctor, cum gentem Germanorum in viſcera noſtra exciuiſſet, ipſi ſupremo poſtmodum faſtigio grauem, intolerandamque Bellauerat Alexander iiij. aduerſus Aenobarbum, Italiaque infeſte depulerat, atque in Aſiam, aduerſus Barbaros, pio, iuſtiorique bello deſeruiturum amandarat, expertus Germanorum rabiem, in aliena terra, indigenarum cruore graſſantem, & Cæleſtinus, libidine Tancredi expellendi, Henricum vi. Aenobarbi filium, Cæſareo, ante paternam profectionem, inſignitum diademate, non Henricorum nomine exterritus, non terribilium armorum ſonitu offuſus, non

Clementis Papæ mors

Cæleſtini iij. imprudentia.

Pontifices agitati ſeditionibus

Alexandri ij. non Gregorij vij. non Victoris iij. non Vrbani ij. aut Paſchalis ij. non Gelaſij ij. caſibus, infortunijſque admonitus, in Italiam euocauit, Conſtantia Rogerij quondam filia, intra ſacratas (ſi noſtris credimus) degente, & ipſa ſacro velamine tecta, illi toro ſociata, ad demendum Tancredo fauorem apud ſubiectos, cum tamen infelici ſorti deſtinata a genitore, præſcio venturorū ab Ioachimo Abbate facto, Tancredi munere viueret extrema damnantis in ſtirpe, & auctoris mitioris ſententiæ, adeo ſunt incertæ rerum vices, & improuida mortalium conſilia, ſed ſacrato pectori tanta inſederat rabies, vt merita Normānicæ gentis, & clariſſima pietatis monumenta obliuioni ſubito mādarit: at quam bene cecinere vates, pandi mala ab Aquilone ſuper habitatores terræ? ſic ſic à principibus noſtris, quibus animarum ſalus, & Italiæ libertas, decuſque cordi præcipue eſſe debent, in nos mala defluunt, gentem

Conſtantia Rogerij regis filia ſeptis educta, in matrimonio collocatur. Caleſtini ira in Tancredum.

Aquilo mortalibus dirus.

nobis

nobis infenſiſſimam Cæleſtinus in viſcera noſtra abſtraxit, vt gemeret poſtea Roma calamitates ſuas, vnumq; in terris acerbiſſime Germanico marte, Petri ſolium in primis peteretur, hinc illa vaſtatio totius Italiæ, vrbiũ excidia, nobilitatis exterminatio, tẽplorum euerſio, & ſacratorum luſus ad omne ludibrium proiectorum, apud barbaros. Diſcāt poſthac ſacroſancti Principes noſtri, & vnice caueant, ne Barbara aliqua ſe gens in Italiam infundat, ignoſcant, ſi deliquerint, errantibus filijs, & Italico ſanguini parcant, externorum flagello ad pianda Italiæ crimina procul amandato, atque detruſo, corrigat pater filios, neque ſeruili timore exanimet. Tancredus, graſſante in Germanos peſtilentia, fruſtra iras miſcẽte Henrico, vel vxore ab hoſtibus capta & iterata Tancredi miſericordia ſeruata, vel in bello mitiſſimi, ac ſuorum amantiſſimi, nec iniurijs, & contumelijs in vltionẽ allecti, exemptus

Cæleſtin' auctor Italicarum cladium.

Germanorum in Italos maleficia.

Admonitio ſalutaris.

Tancredi manſuetudo.

diſcrimini, Panormi deceſſit, Rogerio filio hereditatem, imperiumque capeſcente, Extat diploma Tancredi monaſterio noſtro conceſſum in hanc formam.

Tancredi mors.

✠ In nomine Dei æterni, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Amen.

T*Ancredus diuina fauente clementia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Ex diuina prouidētia, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, nos auiti ſolij conſcendiſſe veſtigia cognoſcentes, eius intuitu, cuius clementia præſide gubernamur, Sacroſanctis Eccleſiis, & locis venerabilibus propria iura conſeruare diſponimus, & eorum vtilitatibus pia ſollicitudine prouidere. Inde eſt quòd cum tu Hilari venerabilis Archimandrita Monaſterij Sancti Eliæ de Carbono fidelis noſter, ad Curiam noſtram veniens, celſitudini noſtræ attentius ſupplicares, vt confirmaremus priuilegia, & inſtrumenta ipſi Monaſterio à fælicibus Regibus prædeceſſoribus noſtris recolendæ memoriæ, clemēter indulta, necnon homines, poſſeſſiones, & tenimenta, quæ tam dono, & conceſſione prædictorū*

fæli-

fœlicium Regum, quàm aliunde ipſum, Monaſteriū habere, & iuſtè dignoſcitur poſſidere, intuitu Dei, tuæque fidelitatis obtentu, ſupplicationes tuas ſuper hoc benignius admittentes, de innata ſolij noſtri clementia, priuilega omnia, & inſtrumenta, quibus Eccleſia ipſa hactenus vſa eſt, necnon homines, poſſeſsiones, & vniuerſa tenimenta, quæ ipſa Eccleſia iuſtè dignoſcitur poſsidere, præſenti priuilegio cōmunimus, & auctoritate Regia perpetuo cōfirmamus. Ad huius autem confirmationis, & conceſsionis noſtræ memoriam, & iuuiolabile firmamentum, præſens Priuilegium per manus Sāſonis Notarij, & fidelis noſtri ſcribi, & bulla plūbea, noſtro Typario impreſſa, iuſsimus roborari. Anno, Menſe, & Indictione ſubſcriptis. †

Data in Vrbe Meſſanæ, per manus Riccardi *filij Matthæi Regij Cancellarij, eo quod ipſe Cancellarius abſens erat. Anno Dominicæ Incarnationis, milleſimo, cēteſimo, nonageſimo primo, Menſe Auguſti, nona Indictione. Regni vero domini noſtri Tancredi Dei gratia magnifici, & glorioſiſsimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Anno ſecundo fœliciter. Amen. Ducatus autem domini Rogerij glorioſi Ducis Apuliæ filij eius, Anno primo, proſpere, Amen.*

Henricus in Italiã deſcendit. Henricus, accepto nuntio de morte Tancredi, haud cunctanter ſe in Italiam rettulit magno exercitu comparato, Anglico inſtructus auro, & infami præda diteſcens, ex captiuitate Riccardi Anglorum regis patrium ad regnum ex Oriẽte proficiſcentis, hęſitq; circa Neapolitana mœnia, *Neapolis obſidetur.* omnibus circum occupatis, vaſtatiſque, ſed vrbs non incurioſe munita, & ſolita obſidionales perpeti ærumnas, inter Gothica, Vandalica, Sarracenica, ac Longobardica arma, feroſque bellorum motus, iraſque fruſtrabatur impetus Germanorum, ciuibus ſuperioris obſidionis felicitatem euentumque ſibi, Rogerioque augurantibus, inclyta fide, famaque, inter aduerſa, vel cum excidio ſui, & admiratione hoſtium: iamque commeatus, & pecunia obſeſſori deficere incœperant, *Ciuium cõſtantia.* pertinaci ciuium fide pro Rogerio ſtante, & molli, ineptoque ad obſidiones vrbium Germano; Henricus grauiter angi, graſſatur dolo, cognationem

tionem præfert, pacem Rogerio oſtẽtat, polliceturque, non abnuere pacẽ, & fœdera iuuenis, dummodo tolerabilia forent, firmatur tandem, interpoſito iureiurando, ſed nuſquam ſancta fides apud barbaros, poſt amplexus, & oſcula, poſt datam, acceptamque dexteram, amoris, ſocietatis, pactionis, affinitatiſque pignus, capitur Rogerius, cum Sybilla matre, & Conſtantia, Mandonia, & Alteria ſororibus, & familiariſſimo quoque, atque in Germaniam amãdatus æternis vinculis mancipatur, erutiſque oculis, & exempta virilitate, expirãuit, iuuenis maioribus non abſimilis, & tam atroci vitæ periodo prorſus indignus, hæc Germanici principatus initia, hoc tragœdiæ ſubſequentis argumentum. Henricus haud diu ſuperſtes, non tamen ſatiata rabie, cum Prouincias nefarie expilaſſet, ac nobilitatem miſere trucidaſſet, Meſſanæ interijt, ac Panormum eius cadauer defertur, Conſtantia paulo ante ſacrata, cum

Henrici aſtus.

Henrici perfidia.

Rogerius cũ cognatione capitur.

Rogerij exitus miſerandus.

Henrici mors.

faſcibus prælatis, & auguſto ornatu procedens, rexit imperium: Hilarius Carbonenſis cœnobij Archimandrita apud eã inſigniter præpolluit acri ingenio, ingentique animo, & pugnaci aduerſus inſolentiſsimos Baronum mores, monaſterij iura laniantium, Gillij Calabræ oppidi occupatoris, paulo ante retuſa arrogantia, regiæ curiæ iudicibus ſententiam ferentibus, qui veteri, & laudabili inſtituto, Prouincias peragrabant cuique ius ſuum reddentes, nulla partium mercede expugnatis animis, regum imperio cuncta ad legum normam iudicãtes, expendenteſque, cum abſcindi lites, & iugulari, ne immortales ſint cum ſummo priuatorum detrimento, regium, ac pijſsimum foret, ſubtracta, & auulſa latrocinandi, impuneque graſſandi materia auaris iudicibus, atque patronis, lites ex induſtria alẽtibus in proximi iacturam, fortunarumque occaſum, ſed nunc alligari litibus genus humanum, pars pruden

Hilarius apud Auguſtam potens.

tiæ

tiæ habetur, expedireque regnantibus exiſtimatur. Conſtantia ſimilior genitoribus, quam viro, rem Eccleſiaſticam auxit, & cœnobia multis prærogatiuis exornauit, præſertim Carbonenſe, auitamque pietatem imitata, ruentem Sancti Baſilij regulam, multis in locis ſuſtinuit, reuocatis monachis ad veterem frugem, & diſciplinę vigorem, nec inquiete vixit, felicior, ſi ſacri habitus tenax, abominandas, & nimium infortunatas populis tædas reſpuiſſet, vetula, & amoribus nimis matura. Fęderìcus in pupillari relictus, Principum ſacrorum tutela vallatus, non modo Neapolitanum, expulſo, fugatoque Othone iiij. ſed Cæſareũ obtinuit diadema, anniten te etiam Franco Rege, cuius odium in Othonem acerbiſsimum deflagrabat, cuncta Apoſtolica auctoritate, in Fæderici decus Pontifice noſtro firmante: at quam ingratus filius, quã veriſsimum Germanicæ crudelitatis exemplum, & barbarici furoris fax? arma

Conſtantia pietas. Ex priuilegio Anno. ciɔcxcvi. Ex reſcri pto Conſtantia Anno. ciɔcxcviij Federicus in tutela Pontificis.

Federici ingratiſſimus animus.

arma poſcit in principem, in parentem, in benefactorem, cuncta cædibus, vaſtitate, & ſanguine complet, auidus Chriſtiani cruoris, Sarracenum malis ſuis indormientem, in Italiæ funera incitat, illi fidit, illi ludibria noſtra, & adyta templorum patefacit, vrbium cineribus, ſacerdotum cruore, ac viſceribus pauit, illuſa diuinitate, & ſacroſanctis myſterijs deriſui habitis, ex guſtu Sarracenorum, quibus ſe penitus, in contemptum noſtrum, addixerat. cum tamen Bartholomęus Archimandrita Carbonenſis magno apud eum in honore eſſet, intimus aulę, & priuilegio exornatus ampliſsimo, quod operi inſerere non ab re fuerit, ne meritis honoribus bellicoſus Cæſar fraudetur, Eccleſiæ aliquando ſalutaris.

Federici ſcelera.

FRIDE-

FRIDERICVS DEI GRATIA Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem, & Siciliæ Rex.

QVAM ſit Imperiali celſitudini glorioſum, quantamque laudem apud Deum, & homines mereatur ad Eccleſiarum conſeruationem intendere, & earum iura illibata ſeruare, ex eo conijcitur manifeſtè, quia cœleſtia maioris ſunt meriti, quàm terrena, & humanis diuina prærogatiua ſemper nō irrationabili præferuntur, quod in illis præſertim fulget Eccleſiis, in quibus viget obſeruantia Regularis, & ſeruatur ordo Monaſticæ diſciplinæ. Inde eſt igitur, quòd nos attendentes laudabilem famam, & conuerſationis ſcientiæ propoſitum, quibus claret Monaſterium Carbonenſe, optantes etiā ſeruitorum ipſius Monaſterij orationibus iugiter adiuuari. Bartholomæum Venerabilem Archimandritam, Monachos, & ipſum Monaſterium, & omnia bona ſua tam Eccleſiaſtica, quā mundana ſub ſpeciali Maieſtatis noſtræ protectione recipimus omnes poſſeſſiones, & omnia bona, quæ in præſenti, largitione Principum,

obla-

oblationibus fidelium, & quibuſcunque alijs iuſtis titulis idem Monaſterium tenet, & poſſidet, & in antea poterit, dante Domino, rationabiliter adipiſci, ex liberalitate gratiæ noſtræ eidem Monaſterio perpetuo confirmamus, niſi fuerint de Feudis, vel ſeruitijs obligata. De innata ergo clementia, & munificentia noſtra, & pro remedio animarum progenitorum noſtrorum, ac pro ſalute noſtra Concedimus, & donamus dicto Archimandritæ, & ſucceſſoribus eius, nec non eidem Monaſterio in perpetuum Tenimentum terrarum de Demanio noſtro, quod eſt in Pollicorio inter flumen Acri, & tenimentum Scãzanæ, ſicut eſt per quatuor latera deſignatum. Ab Oriente eſt mare, à Meridie dictũ flumen Acri. Ab Occidẽte territoriũ Sancti Nicolai de Silua coniunctum territorio Montis Albani. Ab Aquilone tenimentum Scanzanæ. Saluo iure, ſi quod ibidem habet domus hoſpitalis Sãcti Ioannis Hieroſolymitani, & Eccleſia Sancti Iuliani, tenendum ipſum libere ſine aliqua rei, vel iuris diminutione, abſq; contradictione, & moleſtia alicuius, ſicut tenimentum ipſum tempore Regis Gulielmi ſecundi recordationis inclytæ Curia poſſidebat. Nõ obſtãte aliquo Priuilegio de Terra Pollicorij à noſtra

Maie-

Maieſtate alicui perſonæ conceſſo. Præterea confirmamus eidem Archimandritæ, ſucceſſoribus eius, & eidem Monaſterio in perpetuum Priuilegia vniuerſa, quæ à Prædeceſſoribus noſtris fœlicibus Regibus ipſi Monaſterio rationabiliter ſunt conceſſa. Nec non libertates cunctas, quibus idem Monaſterium temporibus fœlicium Regum dignoſcitur eſſe gauiſum. De abundantiori ergo gratia noſtra damus prædicto Monaſterio liberam poteſtatem habere propriam barcam in flumine Acri capacem equorum decem, cum qua, & in qua tranſuehi poſſint vltro, citroq; gratis, & libere; ac intuitu Dei quilibet tranſeuntes, ſine aliqua Camerariorum, Baiulorum, & quorumlibet hominum contrarietate. Quam barcam ipſum Monaſterium in eodem flumine, omni futuro tēpore teneatur habere propter conceſſionem, quam ei facimus de tenimento prædicto. Saluo mandato, & ordinatione noſtra. Ad huius autem conceſſionis, donationis, & confirmationis noſtræ memoriam, & robur perpetuo valiturum præſens Priuilegium per manus Procopij de Matera Notarij, & fidelis noſtri fieri, & Sigillo Maieſtatis noſtræ iuſſimus communiri, Anno, Menſe, & Indictione ſubſcriptis.

Datum

Datum Melphiæ. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo, Ducenteſimo, Trigeſimo ſecundo, Menſe Septembris, ſextæ Indictionis. Imperante Domino noſtro Friderico Dei gratia Inuictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hieruſalem, & Siciliæ Rege. Anno Imperij eius duodecimo, Regni Hieruſalem ſeptimo, Regni vero Siciliæ Triceſimo Quinto fœliciter Amen.

Rapuere in Apulia infandæ diræ monſtrum horrendum, & omni lue funeſtius, ſeu veneno, ſeu filij manu in mortẽ impulſũ, haud inſcius Cęſar erat futurorũ, ex auctoritate Michaelis Scotti, ea tẽpeſtate celeberrimi aſtronomi, atq; fatidici, ſibiq; intimi, lætus talium conſuetudine: ex Gallia Ciſalpina, in Campaniam reuertens, Florentina mœnia aſpectumque vitarat, fatale nomen horreſcens, cum Florentiolæ, haud procul Luceria Sarracenorum colonia, ab ipſo genti attributa, ambagibus deceptus, ſpiritum effudiſſet, inferis deuotus, & adhuc cædes, & ſtrages aduerſus pios eru-

Michael Scottus aſtronom⁹

Ambigua oracula.

Federici interitus.

ctans,

ctans, Bononienſibus præcipue iratus, quorum paulo ante virtuti Laurentius ex cõcubina filius, Sardiniæ Rex, fuſus, captuſq; ſuccubuerat; ſed quis Sueuæ gentis deterrima ſupplicia, & infandas cædes, cum omni genere crudelitatum percenſere poteſt? ſubſequuti duo filij Corradus, & Manfredus, cum genitore vitijs, ac ſceleribus decertarunt, virtutibus, (quæ in eo homine non mediocriter elucebant) penitus inferiores, Corradus, poſt deuaſtatam Campaniam, & diruta Capuæ, ac Neapolis mœnia, ſtrataque, fraterno dolo intercipitur, & Manfredus ad Beneuentum in prælio cadit, inceſtuoſa libidine, & germanitatis ſtupris, inſuper regum vitia, ſolito tetrior, vt alibi in hiſtorijs docuimus, Corradinus Corradi filius, imberbis fortunam haud feliciorem experitur, Neapoli abſciſſis ceruicibus, humanæ ſortis exemplum præbuit, tot antea vallatus exercitibus, & fauore populorum, atque ingenita nobilitate,

Laurenti Federici F ius.

Federici filij.

Corradi exitus infelix.

Manfredi inceſtuoſus.

Ex libro iij. Hiſtoriarum regni Neapolitani.

Corradini miſera cædes.

bilitate, maiorumque decoribus, nec Carolus I. ex Andegauenſium Comitibus, Neapolitani regni inſignibus, Clementis iv. auctoritate, imperioq; in Lateranenſi Baſilica exornatus, gemino prælio victor, ad humanitatem animum detorſit, ſuperba frõte, & lætis oculis, ſæui ſupplicij ſpectator exiſtens, nec humanorum caſuum varietate præmonitus ad leniendam victoriam, cum Diuus Ludouicus frater eius, Saphandini hoſtis clementiam fuiſſet expertus, in ignota, & barbara terra; adeo arduum eſt apud mortales temperare felicitatem, & cohibere iraſcentis animi motum, ſtrata dominandi libidine. Carolus tantis opibus auctus, & iuſto terribilior Italicis principibus, ad vlteriora animum intendere, inſatiatæ cupiditatis, & ambitionis igne depaſtum, bellicoſus, manu promptus, ingenio acerrimus, audax, ſed victis, deditiſq; immitis, & ſæuus vltor iniuriarum, nunquam ſereno vultu conſpectus,

Carolus i. ſeuerus, et inexorabilis.

Animus mortaliũ felicitate corrumpi

Carolus ambitioſ᷑.

aut

aut in hilaritatem effuſus, Conſtantinopolitanum molientem imperium fortuna deſtituit, numquam fida, & magnis plerumque conatibus aduerſa. Sicilia vniuerſa coniurante deletũ ex inſula Francicum nomen, ne à fœmina pręgnante, aut viſceribus infantium, reuocato ferro, adeo libidinoſe, & nefarie Frãci in inſulanos fuerant bacchati: tanti molimenti princeps, auctorque extiterat Ioannes Prochytanus, ſuper inſitum odium in Francos, acceſus violatę iniuria coniugis, & Mãfredi nomini fidus, intimuſque, exciſæ familiæ funeribus iuſta perſoluens, Conſtantia Petri Aragonij Regis vxore, eademque filia Manfredi, in Sicilienſis regni ſolio conſpecta. Pannutius Archimandrita Carbonēſis, religioſæ vitæ, & veteris ſimplicitatis, Draconis Belmontij regij Mareſcalchi, cui ampliſſima Carolus pręmia fuerat elargitus, ob inſignem præſtantiam, nobilitatemque, virtute captus, ſimul & magnificentia viri,

Coniuratio Sicilienſis.

Ioannes Prochitanus.

Pannutius Archimandrita.

Draco Belmontius regni mareſcalcus

erga monaſterium eximia, nullo belli incomodo, aut incertæ pacis turbine, inter Baronum factionem, iraſque impetitum, egregie illud defendente Belmontio, in tutelam ſuſceptum, illectus, Scanzanam cum pago, & latifundio ampliſſimo, in Emphyteuſim conceſſit, dummodo quinque puriſſimi auri vncias, ſingulis annis, monaſterio perſolueret, ſed Draco cum in Lucaniā veniſſet, febre corripitur, & fato proximus, multa cœnobio largitus, reſtitui monachis Scanzanam iubet, præſentibus Odonetto filio, & præcipuis amicorum, quos etiam curatores filio dederat, Gulielmo de Odouilla, & Henrico Iambroſo militi, ac domino Balfani, Odoni de Solia co militi, & Maxafræ caſtelli domino, Adamoque Buerio militi, dominoq; Flummarij: nec Odonettus patri religione concedens, diſtulit paternum votum, Scanzana reſtituitur monaſterio, auctis incrementis, rogans monachos, vt patris, ſuique, in ſacrificijs memi-

Scanzana in Emphyteuſim cōceditur.
Ex proceſſu motæ litis de territorio Scāzanæ, qui in regia Camera ſeruatur.
Draconis mors.
Odonetti religio.
Scāzana reſtituitur.
Ex actis in proceſſu.

meminiſſent. Carolo inter ardorem recuperandæ inſulæ, & accepti detrimenti reſarciũdi, in Apulia extincto, Carolus filius ſuccedit, quantum patri bellica gloria inferior,tantum pietate,& mãſuetudine maior, nec quiſquam regum templis magis fauit,aut auctoritate ſua, magis ſacratos fouit, extulitque, arma infelicia expertus, & Sicilienſem expeditionem improſpere tentatam, Rogerio Loria pugnaciſſimo duce, & antiquorum gloriæ, virtutique æquando, ingentes eius conatus eludendo,frãgendoque, ad fœdera,pacemq; animum conuertit,prole liberorum fortunatus, & indole,ipſe mulieroſus, & virginalium præſertim amplexuum cupidus, corpore informi, atque diſtorto, inde Robertus ad imperium euehitur, voto parentis generis humani, populorumque, bello, paceque inclytus, & maximis ætatis ſuæ regibus par, opibus, fortunaque, gloria diſciplinarũ, & pietate erga ſuperos, longe maxi-

Carolus ſecundus.

Carolus religioſiſſimus.

Rogerij Loriæ claritudo.

Carolus libidinoſus.

Roberti regis præconia.

mus,& ſacroſancto nomini, ac partibus perpetuo addictus, magna Italiæ portione poſſeſſa, deuictis,ac triumphatis hoſtibus ingens, prole non felix expirauit, Carolo filio ſummæ æquitatis, ſummæque indolis ſubito erepto, relicta filiola Ioanna, regiæ domus infame dedecus, ſuperiorum Regum claritati tenebras offudit, Andreæ Caroli Hungari regis filio gentili nupta,infauſtis auſpicijs,cæloque damnatis, auo inter viuos deſinente reuoluta in multorum amplexus, vagæ veneris ſtimulis efferata, pigreſcenti ad maritalem ludum viro exitium machinatur, innocens iuuenis, ſuſpenſus laqueo, e feneſtra pependit,dirum ſpectaculum, & videntibus lacrymabile,atque ominoſum,caruiſſetque ſepultura, ni pietas Vrſilli Minutuli Neapolitani Canonici, erga defunctum valuiſſet,eius opera Neapolim cadauer delatum, in æde Archiepiſcopali tumulatur, ſed minatur Hungarus,prælataque in vexillo, ſuſpenſi

Ioanna infamis.

Ioanna amores.

Andrea regis miſerandus interitus.

Vrſilli Minutuli pietas.

ſuſpenſi fratris imagine, in Italiam irrupit, exutaque Italica humanitate, barbariẽ ructans, ſuperbe victoria abutitur, de auctorib⁹ nefarij ſceleris ſupplicium deſumit, non tamen rabie expleta, amantibuſue litatis, fugiunte in Prouinciam Regina, nouo cum marito Ludouico, eoque pulcherrimo, & certis experimenris indefeſsi lateris, prælecto: Auenionenſi inde Comitatu diſtracto Ioanna regreditur in Italiam, auiti principatus compos, non tamen melior, aut caſtior, irritatis demum ſuperis, & ad ſupremi ſacroſancti faſtigij ruinam, diſcordiarum incendia miniſtrans, coacto Fundis conciliabulo, & Vrbani VI. cauſſa nefarie impugnata, in diſciſſione Orbis, haud tot maritis ſatiata, mori cogitur, Carolo Dyrrachino ad ſatietatem vlto, nulla miſeratione erga gentilem, & ſui quondam dominam, tot regum ſanguine progenitá, deinde fœminam, & beneficio cultæ, conſeruatæque vxoris, mitiori ſenten

Rex Hungaria in vltionem accinctus.

Ioanna in prouinciã fuga.

Ioanna reditus in Italiam.

Conciliũ Fundanũ *contra Vrbanũ coactum iuſſu Ioãnæ.*

Ioanna reginæ mors.

Carolus *iij. Ioãnæ nimium acerbus.*

tiæ obnoxiam, ne ad ludibrium quidem, noto, aut demõſtrato ſcrutantibus, ac curioſis ſepulturæ loco. Cæterum

Caroli iij. mors.

Carolum præcelſiores a victoria gerentem ſpiritus, & externa moliẽtem, in Hungaria, muliebris vltio, ięque mactauere.

Margarita virilis animus.

Margarita vxor fortiſſimo viro orbata, non deſpondit animum, licet cincta hoſtium exercitibus, & latentium domeſticorum inſidijs, pro virili maieſtatem tuetur, interim adoleſcit filius, & regnantis artibus imbuitur, magnæ ſpei, magnęque indolis,

Ladiſlaus r pudio vxoris infamis.

adultus, primis flagitij rudimentis, repudiata vxore infamis, paternas ſibi opes comparare ſtudet: deflagrant inteſtino, externoque bello

Vaſtatio Neapolitani regni

Prouincię, bona cœnobiorum diripiuntur, familiæ religioſorum deturbantur, cuncta militari auaritia, ac cupiditate miſcentur. Nõ vna acie ſtratis hoſtibus, Ladiſlaus terribilior cũctæ Italię imminere, ſemper periurus,

Ladiſlai ſcelera.

perfiduſque, & ſupra bellicum vigorem, & indomitam vim animi, corporiſque,

riſque, nobilitati maxime metuēdus, Sanſeuerinatibus prope ad internecionem deletis, Fæderico ij. non mitior, ad exterminandos reliquos Barones vertebat animum, vireſque, balbutienti lingua, & profuſis amoribus, & irrequieto pectore, Alcibiadi Athenienſi perſimilis, medicato ad venerem remedio, eoque viroſo ex cicuta confecto, impius, & nullo ſacramento munitus, diriſque deuotus in fata conceſſit, iras, & vltionem in hoſtem, vel in nouiſſimo diſcrimine profundendæ animæ pertinaciter, retinens. Fraterno ſceptro Ioāna germana potitur, viduata thoro, lenitate morum, & lepore, conſilij altitudine, & viuido ingenio priori impar, libidine portentoſior, nomine eodem caſtitati funeſto, & ominoſo præfulgens, nutriuntur in fœminæ gremio Pandolphellus Alopus, & Sergianus Caracciolus, decora iuuenta florentes, & famoſi lateris robore monſtrati, ipſa nullis verecundiæ, aut dignitatis,

Ladiſlaꝰ Alcibiadi ſimilis.

Ladiſlai mors.

Ioanna ſecunda imperium.

Pandolphellus Alopus, et Sergianus Caracciolus Ioannæ ſubactores.

tatis, aut religionis, aut memoriȩ maiorũ, & ingenitȩ nobilitatis frænis reſtricta, vagabatur, diffluebatq; in inuſitatas libidines, nouis ſemper igniũ, flãmarumque incrementis exulta, atque equino furore percita, bacchataque, hinnire ad emiſſariorum aſpectum, intuitumque, ſed talium amantium, conſueta perido, extrema clauduntur, Alopus poſt exquiſitiſſima cruciamenta, iuſſu Iacobi Borbonij reginæ viri, ſuſpenditur, ignominioſe per vrbem Neapolitanam vnco tractus, conlaceratuſque, & Caracciolus, prægrauante inuidia, & ipſe iam nimius, inimicorum, vel gentilium inſidijs, trucidatur. Ita duobus regiȩ libidinis prægustatoribus iuſte, ſed ſero in decus eminentiſſimȩ nobilitatis, atque inclytæ ſtirpis, litatis, Regina, funeſtiſsimȩ tragœdiæ ſpectatrix, dum Francica, & Hiſpanica arma, ad interitum præclariſsimi regni, totque Prouinciarum reboãt, Alphõſo Aragonio à Sancti Bonifacij oppugnantione

Ioanna eſfrenis Venus.

Amantiũ finis qualis.

Amatores trucidati.

tione auocato, & Ludouico Andegauenſi, in adoptionem adſcitis, pari leuitate, & imprudentia, ex hac luce migrat, ſubditis execranda, intimis noxia, & omni æuo damnanda, ſubſequentium malorum omnium auctrix. Proh ſcelus, quantis funeribus effrę natiſsimæ mulieris libidini parentauimus? quos vrbium cineres, quas flammas, aut cadauera, aceruatoſque peremptorum cumulos, nefaſto conſilio, impię leuitati, ac nefariæ adoptioni inferias miſimus? Semiramis illa, ſupra muliebrem ſexum celebrata, Nini vxor, Babylona ponte nobilitaſſe, adijſſeque extrema Indorum, numeroſis tractis bellantium agminibus dicitur, & æquata mariti virtute, domita filio regna ſeruaſſe, demum equo adamato nō exaturata, prolem ſuam, nimia pulchritudine floreſcentem, deperiſſe: Tomyris Maſſagetarum regina, filij cædem non ignaue vlta, ducentis millibus Perſarum, cū ipſo Cyro clariſſimo rege, trucidatis,

Ioanna ſecunda mors.

Exhibitione mulie bri infiniti ta in ſubditos mala.

Exempla, & nomina clararum muliorum.

Semiramis Aſſyriorum regina.

Tomyris Maſſagetarum regina.

Ara-

Artemiſia Cariæ Regina. Araxem regni terminum deſignauit: Artemiſia in virum pietate celebris, ingenti mariti cineribus mole ſtatuta, animoſe arma tractauit, & prætulit paci bellum: *Cleopatra Aegypti Regina.* Cleopatra Lagi nouiſsima ſoboles, varietate linguarum, & magnitudine animi, arduo conatu Romanum molita imperium, pugnaciſsimis Imperatoribus in ſinu detentis, & prouolutis ad iuſſa, clariſsime excelluit: *Zenobya Palmyreorum Regina.* Zenobya illa Palmyreorum regina quantis armorum motibus, ſeſe iactanter Romanum in Orbem, attollentem Cteſiphonta repreſsit? quantaque vi pectoris, ſagata in Aurelianum erupit? *Irenes Græca Auguſta.* Irenes illa Græci ſanguinis fœmina Catholica religione præſtans, quam moderate, iuſteque Græcanici imperij rexit habenas? quid alias memorem? & quãquam natura abominatur muliebre *Nunquã vtile muliebre imperium.* faſtigium, mortalibus nunquam vtile, aut profuturum, præclaræ tamen in multis fœminis, præfulſere virtutes, at in Ioanna quid laudari poteſt?

Miſeri

Miſeri maiores noſtri, vereque infortunati, qui incitatiſsimi mulieris œſtri, luere acerbiſsimas pœnas, nec ſibi feliciter ſcortantis. Alphonſus Andegauenſibus regno exactis, compreſsiſque aduerſæ factionis ducibus, glorioſo triumpho Neapolim intrat, crudeſcentibus, hiantibuſque Populorum vulneribus mederi omni ſtudio curat, atque emollita multorum ferocia, pacis, atque otij artes miro honore proſequitur, bonarum artium cultor, & diſciplinarum ſtudioſus, dedituſque hiſtoriæ, & ſacrorum librorum lectioni, doctorum hominum amator, amplificatorque, non minor toga, quam ſago, profert, augetque Neapolitanæ vrbis pomœrium, validiori murorum corona circundatum rem frumentariam liberaliſsime expedit, profuſus in religioſas familias, & delubra ſanctorum, tueturque regia auctoritate Carbonenſe monaſterium, quod iniectis inique diſcordijs, aliqui præſules proturbare nitebantur,

Alphonſ. Neapoli potitur.

Alphōſi i. virtutes, & laudes.

Ex libello Regi porrecto Anno. ciɔcccclvij

Carbonē ſe cœnobium impetitur. Placidus Archimādrita. Romanus Pauli.

bantur,incitabantque Placidum cœnobij Archimandritam,in coadiutorem eius Romanum Pauli, vt pateret aditus ad rapienda monaſterij bona, fructuſque,qui pace iam coaleſcente abunde prouenerant, quæ monachi cum regi detuliſſent, opemque implorassent, dato ſtatim reſcripto, Ferdinandum filium concubina ortum, de his rebus certiorem facit, iubetque tueri omni ſtudio iura monaſterij, & propulſare iniurias. Intelligebat enim ſapientiſsimus Princeps,magnopere ſua intereſſe, aſsidua religioſorum precatione ſuperis commendari, & tunc non vere ſtabiliri in penatibus imperium,ſi pro ſe,ſuiſque,ſtarēt ſpiritalia arma, ac ſacrificia, omni armatu munitiora,tutioraque, canente Propheta fruſtra defendi vrbes,& earum vigilare rectores, ſi diuina potentia procul defenſione abfuerit.His moribus Alphonſus, & ingenti virtutum concurſu pernobilis, orbi terrarum illuxit, vtinam ſoboles non

Ex reſcripto adFerdinandū. Anno. ciɔcccclvij

Alphonſi prudētia.

Quod clade ſua expertus Anepos Ferdinādus. triremi inſidens, in fuga ſæpe cecinit. Degeneres poſteri.

non degeneraſſet ab eo, fœda, ac maculoſa. Donemus nos interim tanto ſuos Principi amores, & Lucretiam ſuam Alagniam plus æquo adamatã, vel tentato cum vxore repudio, ſinamus pacate quieſcere, nullis orationis ictibus feriundam, ob merita amatoris, & gloriam. Alphonſus indole filij non lætus, ſubagreſti ingenio, & ad promerendum fauorem minime idoneo; ac veluti iamtum exitio domus ingemiſcens, in Megaris Inſulæ arce, quam Oui dicimus, demigrat ad ſuperos, Ferdinanduſque filius rex acclamatur, non dubio Caroli, Ioanne Nauarrorum Rege progeniti, fremitu, Neapolitanum dominatum anhelantis, tanquam Catalanorum armis, marteque obtentum, & ideo ſanguini proximiori debitum, ſpurio detruſo. Ferdinandus, miſso ab Roma Cardinali Latino Vrſino, Baroli corona inſignitur, eodem anno ad faſtigium Pio ij. ſublato, acerrimo Ferdinandi fautore, recepta in domum

Lucretia Alagnia Alphonſo amata.

Alphonſi obitus.

Ferdinandus regnum auſpicatur.

Pius ſuorum commodis emollitus.

Ferdinandi filia, Maria, Antonio Piccolomineo nepoti nupta, & ampliſsima dote exornata, cum Romanus Archimandrita Carbonenſis, acerrimo vir ingenio, pugnacique, & aduerſus Barones inexpiabili quodam odio percitus, litem Nicolao Franciſco Miſſanello Tyganæ Baroni, vltra terminos Tyganenſis agri erumpenti, negotium faceſsit, parta victoria apud Ferdinandum eloquio potens, ſæpeque defenſus prolato Vgonis de Claromonte coniugiſq; priuilegio, quod hic adſcribimus.

Romanus Archimãdrita aduerſus Barones.

Romanus Senſeuerinatibus infenſus.

Signum

✠ Signum manus meæ Vgonis de Claromonte.

† Signum manus meæ Gimargæ coniugis ſuæ.

SCIENTES nos Sanctæ Matris Eccleſiæ lauacro regeneratos, & per eam æternæ vitæ pabulo ſatiatos, decet nos tantæ matri, in quantum humana natura valeat, totis viribus famulari, & eiuſdem paſtoribus, Deo quotidie ſeruientibus, vitam æternam inde expectantes, beneficiũ, & honorem exhibere, & pro temporalibus ſempiterna præuidentes, eorum tenimenta, & poſſeſſiones augere. Igitur dum nos prænominati Vgo Claromontis, & Gimarga vxor eius apud Claromontem eſſemus, Tu Blaſius Venerabilis Abbas Beati Anaſtaſii, qui dicitur de Carbone, veniens ad nos multimodis precibus rogaſti nos, vt Monaſterium tuum prædictum, quod ſub regimine noſtro, in terra noſtra adiacet cum tenimento ſuo; tibi, & tuis ſucceſſoribus cum Priuilegio noſtræ auctoritatis, & donationis perpetuæ concederemus. Nos autem cognoſcentes ipſum Monaſterium bonorum, & religioſorum

O priſca pietas, & tanto digna principe.

Cultus, et veneratio antiquorum erga monachos

B. Blaſius B. Lucæ ſucceſſor, & germanus.

Laudantur Carbonenſes monachi. Vgonis liberalitas noſtris nõ intellecta Principibus, atque Baronib⁹.

ſorum Monachorum vita, & regula permanere: non ſolum ipſum tenimentum, verum etiam de alio noſtro tenimento, vt ipſum Monaſterium abundanter pro laborando, & animalia ſua paſcendo augeretur, tibi, & tuis ſucceſſoribus largiri voluimus. Annuentes enim tuæ ſanctæ petitioni pro ſalute noſtra, noſtrorumque omnium parentum tam viuorum, quam defunctorum, huius noſtri Priuilegij auctoritate Monaſterium ipſum cum omni tenimento ſuo, & obedientiarum ſuarum in ipſo habentium, tibi, & tuis ſucceſſoribus perpetuo concedimus, donamus, & cõfirmamus. Eſt enim ipſum tenimentum, quod tibi, & tuis ſucceſſoribus concedimus, & donamus incipiens à flumine, quod ſubtus Calabram vadit in loco, vbi coniungitur cum riuo, qui deſcendit per Mabri, & ſicut aſcendit ipſum flumen, & per Vallonem de Gambari in rectum, & tendit ad collem Ariæ, quæ vulgo dicitur Ilicum, & per inde colle vadit ad Mãdaccum, & inde ducit ad viam publicam, per quam itur à Tygana ad Epiſcopiam, & aſcendit ipſa via vſque ad illas arbores, in quibus ſunt Cruces, & inde pergit ad ſiniſtram partem ad viam publicam, per quam itur ad Claromontem, & deinde pergitur per Serram, & tendit in rectum

Donatio Vgonis, vxoriſq; Finium deſcriptio

Vallis de Gambari.

Cruciatæ Arbores.

ctum ſerra ſerra vſque ad ſerricellam de Bullo, & deinde recte ad maiorem Serram limpidam ſuperioris partis, inde deſcendit, ſicut deſcendit ad partes Caſtelli Sarraceni vſque ad viam, & ab ipſa via aſcendit ad ſerram, vbi ſunt arbores Fagi, & inde ſicut deſcendit per viā, & venit ad ſemitem, quæ vadit à ſancto Pantaleone contra Caſtellum Sarracenum, & deinde per viam viam, quæ vadit per ſerram vſque ad pedem Serricellæ, quæ vocatur Caſtellum de Notanis, & inde per viam viam ſimiliter vſque ad caput vallis, vbi coniungitur cum tenimento de Calabra, & ſicut deſcendit per vallem, & intrat in vallonem, & rectè per vallonem ipſum ad viam, quæ vadit ad Serram de Picileo, & inde vertitur per viam ipſam, & per tenimentum Sanctæ Marinæ de Coccari, & inde per viā viam vſque ad Riuum aquæ, quæ venit de Monaſterio Churamidi, & inde qualiter deſcendit Riuus ipſe cum terris, quæ ſunt iuxta ipſum Riuum à parte tenimenti de Calabra, & de ipſo Riuo ſicut vertitur, & erigitur per fines tenimenti de Calabra, & venit ad Serram per viam, quæ vadit ab Area prædicti Monaſterij Churamidi ad Monaſterium ſancti Archiſtratici, & deinde ſicut vadit per teni-

Caſtelli Saraceni.

Monaſterium S. Archiſtratici.

H mentum

mentum ipſius ſancti Archiſtratici rectè ad fontem ſancti Archiſtratici, & ſicut deſcendit ad prædictum Riuum de Mabri, & concluditur in primo fine.

Riuus de Mabris.

Cuncta, quæ prælegūtur à nobis data, & conceſſa prænominato Monaſterio S. Anaſtaſii de Carbone, tibiq; venerabili Patri prædicto Domino Blaſio eiuſdem Monaſterij Abbati, & tuis omnibus ſucceſſoribus, quietè, liberè, ſine vllo ſeruitio, & ſine quolibet impedimento, firma ſemper, & inuiolata permaneant, & vt ſecurius, & firmius omni tempore habeantur præſens ſcriptum per manus Presbyteri Riccardi noſtri Cappellani ſcribere, & tibi Domno Blaſio prædicto Venerabili Abbati dari iuſſimus, Anno Dominicæ Incarnationis, Milleſimo, LXXVII. menſe Martij, Indictione ſecunda.

Cœnobiū nulli ſeruituti obnoxium hoc idem illi indulſit Niel dominus Calabra, & Caſtronoui. Anno ciɔciij, ex ipſius priuilegio.

Anno ciɔlxxvij.

† Simeon Dei gratia Turſitanæ ſedis Epiſcopus interfui.

† Signum manus Rogerij filij Otonis.

† Vrſo frater prænominati Rogerij.

† Gualterius de Battebarano.

† Alſerius de Siciliſio.

† Robertus de Belem.

Oſmundus de Grutta.

Et

Et ego Presbyter Riccardus Saccettus de Nucera publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, præmiſſis omnibus, & ſingulis vna cum prænominatis Teſtibus, præſens fui, eaque omnia, & ſingula propria mauu ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, meoque conſueto ſigno ſignaui. Locus † ſigni.

Sed motæ quæſtionis euentum, ſententiamque (quo clarius pateſcat veritas, ſeruenturque illibata, ſine metu obliuionis, ſua Monaſterio iura) aduerſus Miſſanellos, in Cœnobij fauorem, ex Compromiſſarij auctoritate pronunciatam ſubtexam.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

ANno à Natiuitate eiuſdem milleſimo, quatricenteſimo, ſeptuageſimo tertio, Regnante Sereniſſimo, & Illuſtriſſimo Domino, Domino noſtro Ferdinando de Aragonia; Dei gratia Siciliæ, Hieruſalem, & Hungariæ Rege, anno eius decimo ſexto feliciter, amen, die ſeptimo menſis Febrarij, anni ſextæ Indictionis Apud Territoriū Carboni in loco, vbi vulgariter dicitur in Pantanazo, de Prouincia Baſilicatæ, Nos Confortus de

Continuanza de Terra Carbori pro præſenti anno ſextæ Indictionis ipſius Terræ annalis Iudex, Robertus Bonuncius de Marathia publicus vbique per totum Regnum Siciliæ Regia auctoritate Notarius, & Teſtes ſubſcripti ad hoc vocati ſpecialiter, & rogati præsenti ſcripto Inſtrumento fatemur, notum facimus, & teſtamur, quod prædicto die, quod cum eſſet exorta quædam materia quæſtionis inter Reuerendum in Chriſto Patrem Romanum Archimandritam, & Conuentum Monaſterij Sancti Eliæ de Carbono, Ordinis ſancti Baſilij Anglonenſis diœceſis ex vna parte, tanquam Dominum Territorij Caſtri Farachi inhabitati. Et Magnificum Dominum Nicolaum Franciſcum de Miſſanello vtilem Dominum Terræ Liganæ, ex altera parte, de & ſuper confinibus dicti Caſtri Farachi, & Territorij dictæ Terræ Tiganæ. Et cũ Archimandrita, & Conuentus aſſererent, quòd dictum Territorium Caſtri Farachi, diuiditur à Territorio dictæ Terræ Tiganæ, per quendam Vallonem de Gambari, recto tramite, abſque aliqua tranſgreſſione, qui vadit ſemper, & de continuo iuxtà montem, ſeu nemus, atque defenſam dictæ Terræ Tiganæ, & tendit ad Callemæ Ari, quæ dicitur Ilicum, vbi oritur

tur dictus Vallonus, & per ipſum Callem vadit ad mare latum, & deinde ducit ad viam publicam, per quam itur à dicta Terra Tiganæ ad Terram Epiſcopiæ, & tendit prope Vallonum de Cupparo, per quem diuiditur Territorium Clarimontis, & Territorium Farachi vſque ad arbores Cruciatos. Ex aduerſo pro parte prædicti Domini Nicolai Franciſci aſſerebatur, quòd Vallonus de Gambaris intelligebatur non directo tramite, prout deſignauit dictus Archimandrita, ſed erat Vallonus per quem deuertebatur ad partem dexteram verſus Territorium dicti Farachi, & tendebat ad eius Ortum, & deinde ſe referebat ad mare latum, & exinde per viam, qua itur à Terra Tiganæ ad Epiſcopiam, non per dictum Vallonum de Cupparo, ſed magis ſupra ad viam dexteram. Et exorta iſta differentia, dictæ partes ſe obtulerunt ſtare determinationi Magnifici, & eximÿ legum Doctoris Domini Antonÿ de Stotÿs de Theramo Viceprincipis Comitatus Claramontis, totiuſque diſtrictus eiuſdem, ſecundum tenorem, & continentiam Priuilegÿ dicti Monaſterÿ ſancti Eliæ, quod habuit, & oſtendit ſuper conceſſione dicti Teritorÿ Farachi, vbi continebatur de confinibus dicti Teritorÿ, dummodo

Ex veteri Baronum more ſemper rebus Eccleſiaſticis infeſtorum.

ipſe Dominus Antonius vna cum partibus ipſis, teſtibus producendis, atque dicto Priuilegio ad locum differentiæ perſonaliter accederet, & locum videret. Vnde præcedentibus dictis Conuẽtionibus idẽ Dominus Antonius cum partibus ipſis, Priuilegio, & teſtibus acceſſit ad locum prædictum, vbi erat contentio de Confinibus, & tam per ſe ipſium, quam dictis teſtibus, partibus, & Priuilegio præambulauit, & ad oculum vidit, & inſpexit loca ipſa, & Vallonos ipſos per partes ipſas ſuper aſſignatos. Et poſtmodum examinatis teſtibus pro vtraque parte productis, dictus Dominus Antonius inuenit per depoſitionem plurium teſtium, qualiter Vallonus de Gambari non erat ille, quem allegabat dictus Dominus Nicolaus Franciſcus, ſed erat ille, quem prædictus Archimandrita, & Conuentus ſuperius declarauerat, propter quæ ipſe Dominus Antonius ibidem ſtans propè dictum Vallonum, & maxime propè viam, quæ vadit à Terra Tiganæ ad dictum Territorium de Faraco, & in dicto Territorio de Faraco præſentibus ipſis partibus, palam, & publice declarauit Vallonum prædictum de Gambari fuiſſe ille, qui vadit recto tramite a flumine de Malo tempo, & vadit recto tramite iuxta nemus,

Defen-

Defenſam, ſeu montem dictæ Terræ Tiganæ, & vſque ad eius ortum, & ab inde per Callem ad Aream de Ilico, & abinde per nonnullos arbores Cruciatos, & deinde ad dictum mare latum, & poſtea per viam, qua itur à Terra Tiganæ ad Epiſcopiam, & ad dictum Vallorum de Cupparo, per quem ſeparatur Territorium Claromontis cum Territorio dicti Farachi, & ſic determinauit per prædictos confines deſignatos diuidi Territorium Tiganæ cum Territorio Farachi. Et hæc fuit ſententia lata, & promulgata per prædictum Dominum Antonium, ipſis partibus præſentibus, & acceptantibus. Et ea ſic declarata, prædictus Archimandrita vna cum Fratre Petro, Frate Daniele, Frate Athanaſio, & Frate Antonio pro parte eiuſdem Monaſterij, requiſiuit nos Iudicem, Notarium, teſtes ex Regia parte, dictam ſententiam, & pronunciationem, atque declarationem in publicam formam reducere deberemus pro cautela eiuſdem Monaſterij. Nos vero attendentes, quòd officium noſtrum publicum eſt, nemini denegare poſſumus, nec debemus, præciſe iuſta petentibus, quibus non eſt denegandus aſſenſus: de hijs omnibus, ſic coram nobis geſtis, in hanc publicam formam reduximus, & confecimus pro certi-

tudine, & cautela prædicti Monaſterij, totiuſque Conuentus eiuſdem. Vnde ad futuram rei memoriam, & quorum, vel cuius intereſt, & poterit intereſſe quomodolibet in futurum, factum eſt exinde hoc præſens publicum Inſtrumentum per manus mei Roberti Bonuncij de Marathia publici, vt ſupra Notarij, ſubſcriptionibus, & ſubſignationibus Iudicis, & teſtium, qui vocati, & rogati interfuerunt, quod ſcripſi ego idem Robertus, publicus vt ſupra Notarius, meoque ſolito ſigno ſignaui, & clauſi. Robertus.

† *Signum Crucis propriæ manus Conforti de Continuanza de Garbono annalis Iudicis, qui vocatus, rogatus interfuit, idiotæ ſcribere neſcientis.*

Ego Presbyter Andreas de Carreta de Siniſio teſtis interfui, & me ſubſcripſi.

Ego Dopnus Gulielmus de Gaudino Cantor Carboni teſtis ſum.

Ego Valētinus de Donato teſtis interfui, & me ſubſcripſi.

† *Signum Crucis propriæ manus Patritij de Nilo de ſancto Quirico, qui pro teſte vocatus interfuit, idiotæ ſcribere neſcientis.*

† *Signum Crucis propriæ manus Benedicti de Mobilia de ſancto Quirico, qui pro teſte vocatus interfuit, idiotæ ſcribe-*

re neſcientis.

Ego Dopnus Dominicus Baſſetta de Epiſcopia teſtis ſum.

Teſtentur.

Dopnus Andreas de Carrota de Siniſio.
Dopnus Gulielmus de Gaudino de Carbono.
Dopnus Dominicus Baſſetta de Carbono. *Alias de Epiſcopia, niſi error inſit.*
Valentinus de Donato.

Sed Romanus acriter in Sanſeuerinates accendebatur, quod nimis inſolenter abuterentur hominibus, ac vaxallis monaſterij, cum ex tot pagorum numero, vnum dumtaxat Carbonij Caſtrum relictum fuiſſet, roſtratę nauis ſpeciem referens, vberrimo ſolo, & aquis irriguo, mitique cœlo, & omni fructuum copia nobilitato, Pollicorium, Calabra, & Scanzana varijs caſibus agitata, aut intercepta atque abſtracta à monaſterij ditione fuerant, Pharaclum vi terræ concuſſum, prolapſumque incoli deſierat, cernuntur veſtigia domorum, & ędis Sancti-

Romanus Sanſeuerinatibus iſenſus. *Carbonij ſitus* *Pharaclū terremotu diuulſum*

Sanctiſſimæ Genetricis, ac Sancti Andreæ, vnde in Synodalibus S. Eliæ, cum feſti vatis dies aguntur, vocari ſolet archipresbyter Sancti Andreæ de Pharaclo, campi ceſſere menſæ (quam vocant) Abbatiali, cœnobioque, apriciores alijs, & fertiliores, occupatur à Pharacli incolis, cum Carbonium miſerabiliter deflagraſſet, clariſſimis cœnobij monumentis, ac diplomatibus ambuſtis, exciſiſque, Mons Clarus editiſſimo in colle, vnde ſerena luce, proſpici Ionium mare, ac Tarentina tellus poſſunt, ibi tēplum eſt magnæ Sanctæ Aecatharinę martyris, quod iam collapſum nos in integrum reſtituimus, & quotannis in celebritate Virginis indicuntur ſupplicationes, riteque ſacrificatur. Mons Clarus arſit fortuito incendio, anno cIↃccccxxxij. flamma latiſſime, coruſcante, vel à Tarentinis littoribus proſpecta, ſic notauere veteres in libro Meneorum, ſeu Menſium, manu ſcripto, quæ cogitans Romanus non

Ex Synodalibus canobij.

Carbonij incēdium ex priuilegio Archiepiſcopi barenſis. Anno cIↃclxxij.

Mons clarus habitatur.

Ex proceſſu litis Scāzanæ, & ex ſyngraphis, et inſtrumentis.

Aedes S. Catharinæ in Mōte Claro extat bulla conſecrationis in archiuio.

Mōtis Clari incendium.

non immerito fremebat, imitatuſque Iacobum Ferrarium Archimandritã, qui biennio ante Montis Clari incẽdium, Aſprellam, (non exigua portio camporum eſt, recuperarat,) iij. id Decembris anni ciɔccccliix. quo Ferdinandus (vt ſupra docuimus) ſuſcepit regni inſignia, Coccharam agrum partemque dimidiam Montis, quem occuparat Hercules Sanſeuerinas, vnde Herculis mons hodie dicitur, vi, & auxilio magni Prophetæ Eliæ, monaſterio adiecerat, qui ager trecentorum annorum, & amplius ſpatio, cœnobij Carbonenſis iuris fuerat, & biennio poſt, in vindictam aduerſus Sanſeuerinates, Beſidia, ſiue Beſidianum ix. Kal. Martij, captum, vaſtatum, incendioque concrematum eſt, vrbs ab Auſonijs cõdita, vetuſtate memorabilis, octo collibus præcelſa, & agri fertilitate, aquarumque vbertate celebris, Hieronymo Lucæ filio, (qui titulum, ac principatus ius in familia ſtabiliuit, cum Sancti Marci

Iacobus Archimãdrita.

Ex inſtrumento prolata ſentẽtia a Iacobo Sanſeuerinate in ſauorẽ monaſterij. Anno ciɔcccccxxix. xvi Kal. Martij. Indictione vij. Ex libro Meneorũ.

Mons Herculis

Beſidianũ incendio crematur

Lucas primus Princeps in domo Sanſeuerinatũ.

ci

Hierony-mi Sanſe-uerinatis cædes.

Romanus Ferdinan-do quere-las deſert.

Beſiniani Principis odium in Romanũ.

Romanus in urbe ac cuſatur

Sixtus iv. qualis.

Commen-datariorũ nomen.

ci, Argentanum nuncupauit antiquitas, Comes eſſet, Antonij filius) miſere capto, & crudelius interempto, Romanus ardẽtior factus ad reliqua, F rdinandum adit, queritut de inſolentia miniſtrorum principalium, promit regum priuilegia, nemini occupatorum parcit, ingens aduerſus Romanum Beſiniani Principis odium ebullit, ſtruit illi inſidias, coquit dolos, iuuenis præcelſi ſpiritus, animorumque, paterna calamitate non fractus, ſed in audaciam accinctus, decurrit ad Sixtum iv. Pauli ij. ſucceſſorẽ, ingeſtis in Romanum criminibus, tanquam depeculatorem cœnobij, rixatorem, & alienæ ditionis auidum, proturbatorẽq; . Præclara animi magnitudine Sixtus, & ſplendidiſsimo cuique regum æquandus, monachis non æquus, cuncta ad ſplendorem aulæ retrahere, luxu affuſę, emergente inopia, tunc latius bacchari Commendatariorum nomen cœpit, extenta rapacitate in bona cœnobiorũ, & locu-

locupletiſſimo quoq; in prædem correpto, princeps ipſe imperandi auidus, miræ ſagacitatis, miræque prudentiæ, atque experientiæ, inquies animo, arma vndique quatere, & ſaga meditari, concitator irarum, armorumque, cunctis in Italia terribilis, cum & Neapolitanum regem, Florẽtinos, Venetoſque exagitaſſet, & in affectum gentilium, commoda, dignitates, ac titulos feruenter euictus, opes ſpectare veterum æmulus, ac liberaliſſimus, & diſciplinis excellens, & doctorum hominum ſtudioſus, nouorum magiſtratuum, ac vectigalium inuentor, funeſto Reipublicæ exemplo, & ſine remedio duraturo, ad idẽ amplexandum ſubſequentibus inuitatis, vnde cuncta in Rempublicam mala, & ſumus atrociora ſenſuri, ni affuerint Cœleſtes, rei Romanæ æterni cuſtodes, & vindices. Impetratur diuale reſcriptum aduerſus Romanũ, vnde auxilium rebus Eccleſiaſticis debet afferri, illinc fulmina torquentur

Sixtus ſuorum amantiſſimus

Sixtus nouorum vectigalium inuentor.

Ex Breui Sixti iv. Anno. ciↄcccclxxvi.

Nota, res eſt admiratione digna.

tur aduerſus defenſores iurium Ec- cleſiæ,& militant Sacroſancti Principes noſtri creduli,nonnunquam ignari, plerumque decepti, cupiditatibus Baronum,ſacra iura proterentes, calcatis, aut contemptis defenſoribus, aut miſere circumuentis, oppreſſiſue, quo latius infrenatę Baronum cupiditates, & inexhauſta rapinarum auiditas graſſentur, non ſine clade Cœnobiorũ,nec auditus Romanus fit peculatus reus,Iacobo Anglonẽſi Epiſcopo, tanquam viciniori, & immunitatibus cœnobij, ex veteri prædeceſſorum Epiſcoporum libidine, ſemper infeſto, ſacra pagina tranſmiſſa, non contectis folijs reus accerſitur Romanus, omni laude digniſsimus, ob defenſionem cœnobij,iuriumque,acerbiſsimas patitur contumelias, octoq; menſium carcerem, captus a Beſiniani miniſtris, & Syneſii tetro carcere incluſus,vel fame vexatus,atquẻ omni genere iniuriarum, adminiſtratione exuitur, non ſine gaudio Biſiniani,

Epiſcopi Anglonenſes cœnobio Carbonenſi ſemper infeſti

Romanus iniuſte vexatur.

Ex actis in proceſſum deductis.

ni, quod ſpiritalibus telis monachum in ſe audacem, nec cedentem confeciſſet, deterritis in poſterum alijs ab incœpto, quod malorum pręcipuum exiſtimari debet, Eccleſiaſtica libertate ſine defenſore relicta in propatulo, atque expoſita collimantium Baronum ictibus ad interitum. Paulus Sancti Soſtij, in diœceſi Sancti Marci in Calabria, primus Carbonenſis cœnobij Commendatarius efficitur, Romano Archimandrita ablegato, vix neceſſarijs ad victum contributis, cum ſententiam in illum, in exedra pronunciaſſet acerbam, & bile redundantem, tanquam in facinoroſum, & ſimoniaca labe pollutum, curaſſetque, ad aggerandam uiri ignominiam, degentium in Cœnobio monachorum manu firmari, ne alicuius genio, aut libidini indulſiſſe videri poſſet, ſubſcripſere græcis ſe litteris, Petrus cœnobij Prior, Daniel, Athanaſius, Matthęus, & Hilarius, iv. Nonas Iunij, decima indictione, Anno ciↄc-

Romanus Archimãdritatu priuatur.

Peſſimum exemplũ.

Paulus primus Commendatarius.

Paulus Romano infenſus.

Ex actis ſententiæ in Romanum latæ.

Anno. ciↄcccclxxvij.

ciɔccccclxxvij. ſexto anno Pontifica-
Aragonia ſtirps deleta. tus Sixti iv. Aragonia ſtirpe funditus deleta, intra quinque regum imperiũ, ſæculo non expleto, adimpletoque Alphonſi de filio, (dum Arcem Nouam auguſtius inſtauraret, renouaretque) vaticinio. Etenim in quinque regibus, Alphonſum primum, & Ferdinandum ſecundum excipimus, vitia non mediocria, ac prorſus abominanda extitere, Ferdinando nemo regum auarior, atrocior, aut libidinoſior fuit, (filio dumtaxat exempto) qui cum de vitijs certare viſus eſt, fide pluſquam Punica infamis, & erga benemeritos ingrati crimine animi teterrimus. Robertus Sanſeuerinas
Roberti Sanſeuerinatis opes Salerni regulus in non dubiam regni poſſeſſionem, trepidum, & rebus ſuis diffidentem, & procerum nobiliſsimorum coniuratione circumuentum, reduxerat, & tamen votorum compos, Roberto hoſtis implacabilis extitit, Lucas Sanſeuerinas Beſiniani princeps, adoleſcentem in Calabriã;

ad

ad perſequẽdas perduelliũ reliquias, à patre miſſum, ſplendidiſſime exceperat, inſignique virtute ad comprimendos rebelles iuuerat, cui in præmium delati beneficij, atque hoſpitalitatis, occiſi filij Hieronymi miſere decepti, & miſerius mori compulſi, gratiam retulit, arrogantiſſime turgens, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, contumaci pectore, obluctari viſus eſt, quaſi cunctis regibus, prudentia, & conſilio potior. Alphonſus filius, præter vim bellicam, & ferociam animi, ſæuiſſimo cuique anteferendus, mercator ex duce, lætus ſceleribus, & genitore nequior, auoque diſſimillimus, omniũ Ordinũ odiũ merito ꝓmeruit. Fædericum abiecti animi tanquam regno indignum fortuna reſpuit, duorum regum coniuratione, & nefarijs armis, (nullo in eos à Fæderico maleficio profecto) petitum, ſtratumque, ita vt captiuo ſimilis, in alieno ſolo, lucem abrumperet, Ferdinando filio pari turbine ad ima detruſo, ſed miſe-

Ferdinandus ſæuus & ingratus.

Alphonſi ſecundi ſcelera.

Fæderici humile pectus.

Ferdinãdi iuuenis interitus.

 rabiliori,

rabiliori,cum ab affine,& gentili proditus, deceptuſque, immaturius expirarit, adoleſcens in ipſo pubertatis flore, nonniſi funera, & luctus, ex regia fortuna contemplatus.Infelix tāti regni ſpolium, occupatori paratū, cruenta regum arma diſcerpſere, ſed nuſquam ſancta fides, aut amicitia inter potentes.Socij, ac fœderati reges, & veluti fraterno amore deuincti,vnanimes iam in alterius exitiúm, ſubito præteritæ germanitatis obliti, quam ſancte iurarant numinibus inuocatis, tanquam feræ belluæ in diuiſione prædarum, ad arma concurrere, infeſtiſſimis odijs, & atrociſſima cæde.Quas tunc non adijt infelix regnum calamitates,& vulnera, tot externis exercitibus viſcera eius auidiſſime depaſcentibus æmulatione deterrima ad omne ſcelus? Francis non minori Ferdinandi Conſalui Cordubæ præſtantia,cōſilioque,quam Ludouici Arminiaci Nemoroſij ducis ſui temeritate deuictis, & pluribus in locis

Nūquam ſancta ſocietas inter reges.

Bellum inter Chriſtianiſſimum, & Catholicum regē.

Ferdinandi Conſalui virtus.

locis fœdiſſime profligatis,Ferdinandus Rex Catholicus, Bæthica victoria inſignis, regno potitur, tantis laboribus, nullo virilis ſexus liberorum extante, fruſtra ſuſceptis, conuulnerata conſcientia, & conſepulto familiæ nomine,tot regum ſeric,ad ſtuporem hominum celebratæ, non diſsimilis telo calamitatis Ludouico Chriſtianiſsimo rege confoſſo, ſuperis, nõ imınerito, iureque æquiſsimo, nimiã hominum cupiditatem alieni rapiundi vlciſcentibus.Sed nulli ſunt humanæ ambitioni fines, nulli vagantibus cupiditatibus limites,accumulatis angoribus. Paulus Carbonenſis cœnobij Commendatarius, reuocato in patriam ex Francia, quo profugerat, & in paternum principatum reſtituto, Bernardino Beſiniani regulo, benignitate Conſalui Cordubæ, cum magnificentius duceret ſupplicem in gratiam recipere, quam pertinacem armis vincere, cum ſe ſe in amicitiam, & obſequium tradiſſet,

Regum labores nullo liberorũ extante.

Humana ambitio.

Ferdinandi Conſalui magnanimitas.

Ex actis in cauſſa Scanzane

Robertus Sanſeuerinas Commendatarius. Roberti mores.

diſſet, eiuſdem reguli precibus fatigatus, in Robertum Sanſeuerinatem Luca Principe natum, Carbonenſem commendam transfert, conſenſu ſedis Apoſtolicæ. Robertus ſola nobilitate præfulgens, ſago melior, quam ſacerdotio, cuncta peſſum habere, ſacri habitus, monachorumque ſpretor, ſuperbe imperitare, graui quoque gentilium in vaxallos monaſterij imperio, licet Sanſeuerinatum familia abſtinẽtiſsima a vaxallorum iniurijs, atque rapinis fuerit, fautrix eorum, & benemeritiſsima, largitrix, & omni regiæ liberalitatis ſplendore clariſsima, æquato regum faſtigio, & vt late diffuſis opibus ingens, præpollenſq;, regnantibus inuiſa. Sed in monachorum odium, proturbari iura, nitẽtium aduerſus Beſiniani principem, coniectis iam in Scanzanam oculis, rabide ampliſsimo fundo inhiantem, veluti Eccleſiæ bonis præteritas exilij, fugæque calamitates, & iacturam reſarſurum, noxio conſilio, & animæ perni-

Sanſeuerinatum familia continentiſſima, & amatrix vaxallorum.

Princeps Beſiniani monachis nõ æquus.

pernicioſiſsimo, nec minus familiæ calamitoſo', vt experimento deprehenſum eſt, ſed tanti cauſſa infortunij, in clariſsima domo, pleriſque adhuc in occulto eſt. Monachi à Roberto ſuperbe habiti, ad Vrbem decurrẽtes, rem Pontifici aperuere, non incurioſe ſatagente pro impetranda commenda Alexandro 'ab Alexandro. Is genere clarus, patria Neapolitanus, clariſsimis diſciplinis excellens, notuſque aulæ, in Romana Academia, quę doctiſsimis viris, & omni diſciplinarum gloria præcelluerat, nemini inferior, poſteritati quoque celebrandus Genialibus ſuis, placidi vir ingenij, nec fracti pectoris. Pontifex haud talium ſpretor, & raptus in perpetuitatis deſiderium, non mollis animi, ſolidam laudem ex doctorum hominum ſcriptis, & diſciplinarum fonte hauriens, libentiſsimo animo Alexandro Carbonenſis cœnobij Commendam largitur. Sed Alexander, præpotentibus Sanſeuerinatum opibus, Al-

Alexander ab Alexandro qualis

Geniales libri.

Ex actis in lite Sca̅zana in magna Curia.

Alexander ditione ſpoliatur. *Ex actis in lite Scanzana*

phonſo Sanſeuerinate non occulte, à Caſtro Sancti Quirici, armatorum globos in auxilium Roberti ſubmittente, pellitur ditione, incumbente quoque in eum regia vi, quod ſine regio Ferdinandi Catholici aſſenſu, fultus præſidio Apoſtolicarum litterarum & Romane Rotæ auctoritate, Bernardinum principem in ius vocarat, ad repręſentandos redditus, ex

Beſiniani princeps in ius vocatus. *Iniuſtis litibus futile rem edium præſentum.*

Scanzanę fructibus ſuſceptos, & temere vſurpatos. Vſitatum eorum remedium, qui iniuſtis Eccleſiaſticis litibus nituntur, prælato regiæ maieſtatis fulgore, tanquam conculcatæ, non impetrato aſſenſu, in dies vſurpari videmus. Sed indignante Pontifice, & minas intentante,

Robertus carcere incluſus. *Exactis in lite Scanzana*

Robertus Caſtro Nouo Caſtello includitur, inita cum Lælio à Valle Romano pactione, vt retenta penes ſe tertia fructuum parte, reliqua cederent in Lælij vtilitatem, cum per aliquot dies

Roberti interitus.

detentus fuiſſet, fuga ſe Caſſanum, (Coſa olim fuit) proripuit, vbi nõ mul

to

to poſt, in tumultu occiſus eſt, homo peracris, ardentiſque ingenij, ſed ad togam minime accõmodati. Alexander reductus in poſſeſſionem Commendę, pro iuribus monaſterij aduerſus Anglonenſem Epiſcopum, & Beſiniani regulum, animoſe proſiliens, in meditatione magnarum rerum, intra fere quinquennium, morbo deceſsit, cum Bernardinum fratrem Carbonium præmiſiſset, ad retinendos in fide ſubditos, defendendoſque ab iniurijs, & exactionibus, ſuperbe, & auare impoſitis, & contra fas à Principis miniſtris. Poſt mortem Alexandri, diu diſceptatum fuit inter Lælium à Valle, & Ioannem Geſualdum, ſuper obtinenda Carbonenſis cœnobij commenda, cum tamen Lęlius in poſſeſsione eſſet, procuratoribus ſuis Carbonij degentibus, Frãciſco Geſualdo, & Ioanne Bernardino, cedente tandem Lælio, & modica penſione contento, ius Commendæ in Geſualdum transfertur, vete-

Alexandri obitus.

Ex proceſſu litis de Scãzana. Extat inter ſyngraphas, epiſtola ipſius Alexãdri fratrẽ ab vrbe miſſa.

Anno. cIↄIↄvii.

Lis inter competitores.

Exactis litis de Scãzana ſub Leone X. Anno cIↄIↄxiv.

Ioannes Geſuald' qualis

rem aulicum, aſſuetũque lateri,& cubiculo Oliuerij Cardinalis Carafæ, præſtantiſsimæ virtutis, ingentiſque in aula nominis, adſcitum poſtea inter Clementis vij. familiares, diſciplinarum inſcium, & voluptuoſum, atque Eccleſiaſtica iura poſthabentem, iunctuſque familiaritate Principi Beſiniani, magnificus verborum oſtentator,& aulæ non ignarus, inhæſit animo,& beneuolentiæ Principis, receptus inter familiariſsimos, aſſentator, vt aulicus, & amoeni ingenij creditis illi curarum, ac negotiorum præcipuis, ingenium hominis Princeps rimatus, molle, & inanibus ſemper paſtum, veteri prurigine ſtimulatus, Scanzanam occupauit, eam ipſe colonis locat, veteres fines, ac terminos diſturbat, monaſterium auctoritate, ac iuribus ſpoliat, blanditur Geſualdo, & inter venationum voluptates traductum, flectit ad omne obſequium, fauoribus præturgidum, & menſæ ſodalem, Roberto multo iniquio-

Oliuerij Cardinalis Carafæ laus.

In inſcriptione ſculpta in cymatio fani, ſe alumnum Oliuerij Cardinalis, vocat.

Ex Breui indulgentiarum Clementis vij. adipſius Geſualdi preces, cõceſſarum. Anno cIɔIɔxxx.

Geſualdi ingenium.

Scanzania occupatur a Prĩcipe.

iniquiorem, nam ille licet, nulla experiētia nobilis, & principis patruus, generoſe reſtiterat, intacta, atque inuiolata cuſtodiens iura monaſterij, & Scanzanæ præſertim. Interim Bernardino Principi mortuo, Petrus Antonius filius ſuccedit, cui veluti rector, datus, fuerat Gieſualdus, amicorum, & ſeruientium præcipuus, iamque ſubditis terribilis, inhianſque eorum fortunis, vt Scanzanæ iacturam penſaret, abſtractæ à gremio cœnobij, diſſimulatione, & ignauia ſua, Michaelem Gaudinum, & Gaudinum fratrē, & Antonium Satrianum Carbonenſium præcipuos, inani quæſito prætextu, tanquam in eum ſeditioſè egiſſent, in prædam corripit, latifundijs, & numeroſo armento præpingues, Tarentoque inde reuerſus, quo tanquam ad ſecuriorem ſedem, ingruente in Italiā Odetto Fuſio Lotrechio, vt in hiſtoria Leonardi aui mei legi poteſt, ſe receperat, ad reliquorum terrorem, quoſdam furcæ ſupplicio, ex

Ex actis in lite Scāzanæ, & ex Roberti ſyngraphis

Petrus Antonius Bernardini filius.

Geſualdꝰ vexat ſubditos. Ex actis in lite aduerſus Aureliam Philingeriam, corā Nuntio Apoſtolico.

Leonardi Sanctorij Hiſtoria de bello Lotrecico, quam ſcripſit Italica lingua

ex auctoritate, iuſſuque Principis, afficiẽdos curauit. Nam Archimandrita, ſeu Commendatarius tribus caſibus excluditur, mortis naturalis, ciuilis, & membri abſciſſi, olim regiæ ordinarijs Curiæ iudicibus committebantur, translata poſtmodum iuriſdictione in Barones, vel vt verius dicamus, venundata, eorum iuris eſt, reliqua Commendatario illibata manẽt, iure pleniſſimo, niſi ignaue ipſe poſthabeat, aut ocupari a Principis miniſtris ſinat. Hoc terrore Geſualdus, iã ſubditis formidandus, conſpiciebatur in comitatu Principis, inter primos, vxoris quoque cuſtos, epirotico ſanguine progenitę, à Georgio Caſtrioto nanque, cui ex Turcica appellatione Scanderbeko nomen fuit, clariſſimo, & cuilibet regum, animi, ac corporis virtute comparando, trahebat originem, inuexeratque in domum mariti, Ducatum Sancti Petri in Galatina, auitaſque opes. Geſualdus, veterem ædis Elianæ ſtructuram auerſatus, templum

Tres caſ⁹ non competũt Abbati.

Geſuald⁹ cuſtos Prĩcipis vxoris.

Georgius Caſtrios⁹.

Geſuald⁹ ædem Sancti Eliæ demolitur

plum diruit, diſiecto tholo, atrium palatio expanſurus: in ea vaſtatione abolitæ Archimandritarum imagines in pariete depictæ, nec vnquam reſtitutæ, diſsipata mortuorum oſſa, ac prætereuntium pedibus protrita, donec iuſſu patrui mei, terra obruta, pauimentato ſolo; ſtrictior ædis latitudo cum proportione longitudinis erecta, appoſito nomine ipſius in hypertyrone, vel cum ſolæciſmo latinæ dictionis, adeo litterarum erat ignarus, verituſque excommunicationis ſententiam, cum ſine reſcripto diuali, veterem ædem, tot ſanctorum monachorum, Archimandritarumq; veſtigijs, greſsibuſque verendam, diruiſſet, abſolutionẽ petijt, à Leonardo Groſſo Ruerio, Epiſcopo Agennenſi, Sanctæ Suſannæ Presbytero Cardinale, maiori Pœnitentiario, cui muneri germanus eius frater, Clemens Ruerius, tituli Sancti Clementis Cardinalis præfuerat, reſcriptũ abſolutionis tranſmiſſum eſt Abbati

Geſualdi inſcitia.

Ex reſcripto Card. Sanctæ Suſannæ, ſub Leone X. anno iv.

bati Sancti Angeli, apud Caſtrum Sarracenum, quod haud procul faucibus Appẽnini eſt, credo pro ſpecula olim aduerſus Sarracenos erectum, in loco aſperrimo, & in his Lucanię mõtibus, ad Sambuci Serram (quam dicunt) à Liuio memoratis, propter difficilem aſcenſum, abruptaſque cautes: ſtuduit non incurioſe Geſualdus agriculturæ, hortorumque amœnitati, conquiſito vario pomorum, ac fructum genere, tantaque Beſiniani regulum, a quo libens Scãzanæ magnis redditibus orbatus fuerat, adulatione eſt proſequutus, ex aulico vſu aſtutiſſimus, vt ceraſa præſtantioris ſaporis, craſsitudiniſque, ab Vrbe translata, Principis appellatione honeſtarit, ne à vinarijs quidem dolijs adulatione ſeruili reuocata, quibus Principis, & vxoris nomina impoſuit, vinum namque delicatius, præſtantiuſue, ori principum, & guſtui, talium ipſe non ineptus pręguſtator, omni cura ſeruabat. Etenim Lucania, cum omnium

Caſtrum Sarracenum.

Geſuald' agricultu ræ deditus

Geſualdi ſeruilis adulatio.

Lucania prouinciæ fertilitas.

rerum

rerum feraciſſima ſit, vini generoſitate nulli Italicarum regionum concedit, ſed orbata nauigabilium commoditate amnium, cum vberrimos ſoli fructus, frugeſque ad maritima loca exportare nequeat, ſuis luxuriata bonis, pigreſcit, exteris non ideo celebrata, alio non mitiori morbo ęgrotans, cum caſtellatim, vicatimq; paſſim habitetur, inter rictus, denteſque Baronum, nulla magna vrbe attollitur, iuuaturque, vnde fama apud exteros, opes, & commoda apud indigenas, communicatis rerum pretijs, auctiſque, & miſto commercio. Geſualdus, ſcripto teſtamento, & translata in Ferdinandum Rogerium Salernitanum, ex Ioanna Angela Geſualdi germana natum, blandis iuuenem moribus, ignarum litterarum, & religione, & modeſtia ſui diſſimilem, Cōmenda, moritur, & Carbonij in templo Sancti Eliæ tumulatur. Ferdinandus, initio Commendæ delatæ, ędem ab auunculo infauſte inchoatam abſoluit,

Lucania infelicitas.

Ex teſtamenti tabulis. Anno ciↄiↄx. xxix. vltima ſeptēbr die.

Geſualdi mors, et tumulus.

Ferdinandus Rogerius qualis.

ſoluit, tabula variarum imaginum in ara maxima collocata, quam illinc auferri, & Rotundulam ad ædem Sanctæ Sophię aſportari mandauimus, cũ in altari tabulam collocaſſemus depictam a Ioſepho Cęſare Arpinate, pictorum præſtantiſſimo, nulli recentiũ, aut veterum poſthabẽdo, vel iuuene. In hac tabula Deiparam cum nato lactente in vlnis, Sancta Anna, Sancta Maria Aegyptiaca, ſancto Michaele Arcangelo, Sanctis Vito, Ioãne Eleemoſynario, & Luca Abbate, pictor ſemper ſibi ſimilis, egregie expreſſit, cum biennio ante tabulam Sãcti Eliæ Prophetæ, ingneo curru, equiſque ſydera ſcandentis, Eliſęo pallium excipiunte, ſimul & tabulam Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris, auguſtales faſces, aquilamque calcantis, cum ſtricto ferro, tranſmiſiſſemus, artis eximiæ, atque decoris, ita vt picturarum excellentia, ac dignitate nulli templorum, in regno Neapolitano ędes illa cõcedat. Cęterũ Ferdinandum

Ioſephus Cæſar Arpinas pictor eximius.

Imagines in tabula depicta.

Duæ aliæ tabulæ.

nandum amiſſa Scanzanæ ditio, & protrita Eccleſiæ iura, miniſtrorum principis inſolentia, grauiter contundere, auerſantē auunculi leuitatem, & abiectam animam, tam eneruiter ferentem ſummum præiudicium, ſummamq; iacturam. Conceſſerant Scanzanā (vti paulo ante docuimus) Alexander, & Ricciardus Claromontis domini, fraterno amore memorabiles, & religione eximij, ex præclara Normanorum nobilitate, & pleniſſimo iure tradiderant Carbonenſi cœnobio, Riccardum Siniſcalcum magni quondam Rogerij filium imitati, clariſsimę pietatis, liberalitatiſque, Boemundus, regeſque alij, & Federicus Auguſtus Eccleſiæ iuribus ſemper infeſtus, Sanctitatem tamen Carbonenſis cœnobij veritus, admiratuſque, multis, inſignibuſque priuilegijs munierat, & Petrus Antonius Sanſeuerinas, & ipſe Normānico ſanguine progenitus, Bernardini genitoris veſtigia ſectatus, manum in ſancta eleuauit,

Ferdinandus Scanzanam recuperare cogitat, auunculo diſſimilis.

Alexāder & Riciardus fratres Claromontis domini, pietate inſignes, extat apud nos eorum imago ære expreſſa.

uauit, tenaciſsime Scanzanæ poſſeſſioni inhærens, nullo legitimo ſeruato iudicio, nullo aſſenſu ſedis Apoſtolicę, vnius conniuentis, ac manus dantis Ioannis Geſualdi ignauia, allectus, & aulica adulatione, quæ magnos plerumque viros afflixit, indubitata Regiarum peſtis, ac Regum, ſed nihil mollius Neapolitano pectore ad adulationem, ſuperbiamque. Hac de cauſſa Ferdinandus grauiter indignatus, faceſsit Principi negotium litem intendit, ciet teſtes, promit priuilegia, gręcis litteris pleraque exarata, compleri folia curat, in rem acriter incumbens, indefeſſo labore, nec parcens impenſis, res in Senatu Neapolitano diu agitata, vel prolatis antiquitatis monumentis, repertiſque in Sancti Laurentij monaſterio, apud Padulium, Carrhuſianæ familiæ, clari nominis inſignis ædificij, magnorumque redditũum, græco ſermone membranis, in fauorem rei Carbonenſis: mittuntur

Ex epiſtola Commẽdatarij ad Episcopũ Beſiniani & ex litteris D. Nicolai Riccij Prioris Carthuſiani cœnobij apud Padulium ad Commendatarium Carbonenſem, vbi diplomata principum memorãtur.

Priuilegia inuenta in cœnobio S. Laurentij de padulio

illico

illico, decreto Senatus, Ioannes Paulus Vernalionius, præſtanti doctrina, multaque rerum cognitione, & Græcæ linguæ gnarus, & Victorius Tarentinus Neapolitanus, intimus Principi, non indoctus homo, & græcis litteris excultus, qui ex criberent, notarentque priuilegia, diuinitus reperta, in rem loqui videbantur.

Ioannes Paulus Vernalionius, et Victorius Tarentinus iuſſu Thomæ de Minadois cauſſa cõmiſſarij, Padulium miſſi

Sed attexam tria dumtaxat operi, reliquis omiſsis, diplomata Paludij inuenta, quo glorioſior effulgeat Boemundi iunioris, Riccardi, duorumque fratrum pietas, appareatque aduerſus quorum auctoritatem, votaque ſteterit Princeps, maiorum claritudine, virtuteque inſignis, nec ipſe inglorius egregijs animi, fortunæque bonis exornatus.

Nota venerationẽ pijſſimi Principis erga Sanctum.

PRIVILEGIVM factum à me Boemundo filio, & hærede fœlicis memoriæ Boemundi celebris, & famoſi Antiochenorum Principis, & conceſſum Sanctiſſimo, & diuino templo Beati Martyris Anaſtaſii, qui dicitur delli Carboni, tibique Sacratiſſimo, Deoque chariſſimo eius Abbati Patri Nilo, tuiſque ſucceſſoribus, Menſe Septembri, Indictione tertia, ab orbe condito. 6633.

Cum

Cum nuper ad nos tu Reuerendiſſime Abbas Pator Nile veniſſes Hydrunta, Priuilegiumq; attuliſſes fœlicis memoriæ Patris mei Domini Boemundi, in quo continebatur immunitas, & exemptio prædictæ Eccleſiæ Beati Martyris Anaſtaſii, & omnium, quæ ad ipſam ſpectant, grāgiarum, & omnium aliarum eius rerum, petens præterea, vt ipſam ſanctam Eccleſiam, & eius ſingula in noſtram ſuſciperemus protectionem. Iniquum itaque duximus, veſtras negligere preces, pro tali materia, & petione nobis factas, noſtræ animæ ſalutari: ac propterea tuo deſiderio, & petitioni aſſentientes, pro ſalute animæ, & corporis noſtri, proque vitæ incolumitate, & pro remiſſione peccatorum Inclyti Domini noſtri patris Domini Boemundi, & eius patris Illuſtriſſimi Ducis confirmauimus omnia, quæ à prædictis huic Sanctæ Eccleſiæ donata, & conceſſa fuerunt, & ex nunc in antea eius exemptionem ratificamus, vt à nemine moleſtetur, neque turbetur, vt æquum eſt, ſed omnia eius bona, & granciæ, mobilia, animalia, & ſtabilia ſint immunia, & exempta in perpetuum, neque liceat alicui noſtrorum ſubditorū quouis modo, quauis cauſa, vel occaſione, eu prateſxtu, moleſtare dictam Eccle-

Boemundi iunioris pietas.

Boemūdus rata facit diplomata

ſiam, ſeu perturbare: quinimo non ſolum per hoc noſtrum Priuilegium ratificauimus, & confirmauimus prædicta omnia,

Pons Pollicorij.

ſed etiam Pontem Pollicorij vna cum venerabili, & ſacro Monaſterio Beatæ Virginis, & eius Caſali, vna cum Eccleſia

Latiſſimi Sanzanæ agri.

Beatiſſimæ Virginis, quæ eſt in Scanzana, vna cum Territorijs per hos confines confinatis, ideſt ab Occidente quomodo

Finiũ deſcriptio.

deſcendit à fonte, qui dicitur dello Cromida, ſeu Cepollaro, & per radicicem

Murica mons.

montis, qui dicitur Murica, qui deſcendit recto tramite vſque ad flumen, qui

Chelãdra amnis, qui & ſelandra.

dicitur Chelandra, & quomodo prædictũ flumen deſcendit vſque ad mare, & per litus maris deſcendit ad Eccleſiam ſancti

Aedes S. Georgij.

Georgij, & quomodo à dicta Eccleſia ſancti Georgij aſcendit ad fontem, qui dicitur Ducato, & ab hoc fonte aſcendit ad alium fontem prædictum dello Cromida. Omnia prædicta territoria, cum iniuſtè ablata fuerint, & vſurpata dictæ Eccle-

Cuncta in integrum reſtituta, & aucta Boemundi liberalitate.

ſiæ, illi reſtituimus, vt ex nunc in antea habeat, & poſſideat abſque nullo impedimento, & moleſtia, quemadmodum prædicta Monaſteria Beatæ Virginis, quæ eſt in prædicto Ponte Pollicorij, & Scanzanæ tenuerunt, & poſſederunt, & omnia prædicta bona, vt ſupra dictum eſt, habeat, & poſſideat prædictum Mo-

naſterium

Monaſterium Beati Martyris Anaſtaſii, & eius Abbas, & ſucceſſores in perpetuum, abſque nullo impedimento. Si autem aliquis noſtrorum ſubditorum, paruus, aut magnus, Dominus, aut ſubditus, vel nos ipſi, quæ à nobis confirmata, & ratificata ſunt, aliquo pacto mutare, aut annullare tentaremus, nos quidẽ incurramus maledictioni CCCXVIII. Sanctornm Patrum: noſtriq; ſubditi ſoluant quinquaginta libras auri noſtro Fiſco, totidemq; alias ſanctæ Eccleſiæ, eiuſq; Superioribus, & habebit præterea noſtrã indignationem. Præſens enim Priuilegium inuiolablie, & immutabile in ſempiternum permanebit: quod ad maiorem cautelam, & robur, noſtro ſolito plumbeo ſigillo ſigillatum, & confirmatum, noſtraq; ſubſcriptione munitum, & propria manu noſtri Notarij Michaelis ſcriptum, traditum, & aſſignatum fuit Reuerendiſſimo Abbati Nilo, Menſe, Indictione, & Anno, vt ſupra.

Nota imprecationes, & diras. Adeo auguſtũ animis mortalium erat Nicanum ſacroſãctũ cõcilium.

† *Conſtantia* † *Signum manus meæ Boamundi qui ſupra.*

† *Ego Petrus Dei gratia Hydruntinus Archiepiſcopus.*

† *Ego Gualterius Dei gratia Barenſis Archiepiſcopus.*

Habentur in Priuilegijs ppria manu ſubſcriptioneque.

✝ *Vbus Talabotes me ſubſcripſi ſigno Crucis, ſubſcriptio autem Notarij.*

✝ *Michael Tercudij me ſubſcriſi ſigno Crucis, ſubſcriptio vero Notarij.*

✝ *Guidus filius Dauid me ſubſcripſi ſigno Crucis, ſubſcriptio vero Notarij.*

Venerati erga ſanctos.

Maxafra oppidũ in Lucania.

S. Maria de Scanzana.

Priſca pietas.

Quoniam, vt ait ſcriptura, in multis offendimus omnes, & neque per nos ipſos ſaluari, & Deo reconciliari poſſumus, niſi Sãctorum eius precibus adiuuemur. Ideo Ego Riccardus Siniſcalcus magni quondam Rogerij filius, vna cum Domina Albenda vxore mea, dum reſideremus apud Maxafram, & veniſſet ad nos Dominus Nilus Venerabilis Abbas ſancti Anaſtaſij de Abbatia, quæ dicitur Carbonum, vna cum Triſtano Monacho ſuo, & requiſiſſet à nobis, ac deprecatus fuiſset, quatenus Tenimentum Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ a Hoſpitali Ponti ſibi donaremus, & concederemus. Nos autem diuina inſpiratione commoti, exaudientes Dei viri dignas, & iuſtas petitiones, pro amore Dei, & remedio animæ patris mei commemorati glorioſæ memoriæ, & Roberti Guiſcardi Ducis Italiæ, & Rogerij Ducis Barij, filiorum eius, & omnium parentum noſtro-

noſtrorum defunctorum, atque remiſſione omnium peccatorum noſtrorum, donauimus, & conceſſimus prædictum Tenimentum ſanctæ Mariæ prædicti Hoſpitalis Ponti Domino Nilo prædicto Abbati, & Triſtano Monacho, & omnibus ſucceſſoribus ſuis ad dominandum, & poſſidendum quiete, & libere omni futuro tempore. Similiter donauimus, & confirmauimus, & conceſſimus prædictæ Abbatia Carbonis & Domino Nilo prædicto Abbati, omnibuſq; rebus ſuis mobilibus, & immobilibus, vna cum omnibus tenimentis ſuis, quorum fines ita incedunt. Ab Oriente eſt mare ſicut deſcendit coram ſancto Georgio in mare, & à ſancto Georgio ipſo, circa Meridiem pergit circa ad quatuor Petras fictas, & ſic aſcendit ab ipſis Petris recto tramite vſque ad viam publicã, quæ dicitur apud Tarentum, & ſicut vadit ipſa via vſque ad Serronem Oleaſtri, & inde aſcendit vſque ad Vallem de Achetanijs, & ab ipſa Valle pergit ad fontem, qui dicitur de Cromida, & ab inde ſicut pergit Serra prædicti fontis, & ſic vadit de Serrà in Serra, & vadit recto tramite ad flumen Chelandræ, & ſic deſcendit per ipſum flumen vſque ad mare, qui eſt primus finis. Hæc vero omnia quæ ſuperius ſunt

Donatio Riccardi

Fines agrorũ S. Mariæ de Scãzana.

Serro oleaſtri.

Cromida Fons.

annotata, tam Domino Nilo, quam omnibus ſuis ſucceſſoribus de prædicta Carbonis Abbatia donauimus, & libere conceſsimus, & confirmauimus, ad poſsidendum, retinendum, propriamq; voluntatem faciendum ſine noſtra, noſtrorumque hæredum, & ſucceſſorum contrarietate, & requiſitione, in omni futuro tempore. Si quis diſcrepare voluerit hoc noſtræ offertionis, & oblationis donum, noſtrorũ hæredum, vel ſucceſſorum ſub anathemate iaceat, & à gremio ſanctæ Eccleſiæ, ſeu à corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti omnino priuetur. Quod ſi aliquis noſtrorum ſubiectorum hoc donum euacuare tentauerit, componatur in numero publico libris auri puriſsimi decem, & hoc ſigillum noſtræ donationis firmum, & inuiolatum ſemper permaneat. Vnde & perſeueritatis, & ſtabilitatis cauſa hoc ſigillum factum à noſtro Notario ſcribi, & noſtra Bulla plumbea bullari, ipſique Domino Nilo prædicto Abbati dari iuſſimus. Anno videlicet Incarnationis milleſimo centeſimo, decimæ Indictionis, Menſe Madio.

Diræ aduerſus donationis violatores

✝ *Hoc Signũ manus Seneſcalchi buius doni largitor.*

Signum

† *Signum propriæ manus Albendæ vxo-ris eius.*

† *Signum manus Ricciardi de Manſtarello.*

† *Signum manus Roberti Aruggæ.*

† *Signum manus Roberti filij Riccardi Seneſcalchi.*

† *Signum manus Haymerij Militis.*

† *Signum manus Gualterij de Media, qui interſui.*

† *Signum manus Roberti de Tarent. qui vidi &c.*

Priuilegium factum à me Alexandro Claromonte, & Ricciardo fratre meo, & conceſſum ſacroſancto Monaſterio sãcti Martyris Anaſtaſii de Carbono, & tibi ſanctiſimo illius Abbati Domino Nilo, tuiſque ſucceſſoribus in dicto Monaſterio. Menſe ſeptembri, Indictione quarta. Anno 6634.

Cum Dominium, & poteſtatem Ciuitatis Pollicorij à Domino Boemũdo accepiſſemus, veniſti ad nos ſanctiſime Abbas Domine Nile, petens à nobis, vt tibi, & ſucceſſoribus tuis confirmaremus Pontem Pollicorij cum Venerando Monaſterio S. Mariæ, & Iuriſdictionibus eius, nec non Fccleſiam Dei Genitricis Iſcanzanæ cum eius poſſeſſionibus, ferens etiam alia

Diploma-
ta cœnobio
conceſſa.

Priuilegia & fœlicis recordationis con-
iugum Riccardi Siniſcalchi, & Domi-
næ Albendæ amitæ noſtræ, & Illuſtriſsi-
mi Principis Domini Boamundi: in qui-
bus, quæ ab illis, in locis prædictis tibi
conceſsa fuerant, & per te iuſte, & quie-
te obtenta, & poſseſſa, continebantur.

Fratrum
pietas.

Nos igitur indignum arbitrati tuas in
huiuſmodi re animabus noſtris vtili, pre-
ces deſpicere, tuæ voluntati, & tuis iu-
ſtis precibus, petitionibus annuimus;
tum propter animarum noſtrarum,
& corporum ſalutem, tum etiam propter
remiſsionen peccatorum parentum no-
ſtrorum. Quare ea, quæ ab illis tibi, &
ſucceſſoribus tuis donata, & conceſſa fue-
runt, nos fratres prædicti toto animo con-

Liberali-
tas frater
na.

firmamus, & benigne rata habemus amo-
do, & in perpetuum, vt dicta Monaſte-
ria ſine aliquo grauamine, & perturba-
tione tanquam à nobis accepta obtineas,
& poſſideas, tu, & tui ſucceſſores. Nul-
li igitur liceat ſub noſtra poteſtate degen
tium, vel alij cuipiam modo aliquo, vel
occaſione aggrauare, perturbare; vel mo-

Pons Pol-
licorij.

leſtare ea in aliquo. Præterea Pontem
prædictum Pollicorij cum Monaſterio

Scanzana

ſanctæ Mariæ, & Eccleſiam Dei Geni-
tricis Iſcanzanæ cum bonis, & Iuriſdi-
ctionibus eorum, vt diximus, tibi con-
firman-

firmantes,confirm amus ea (quod iuſtum eſſe, & animabus noſtris conferre arbitramur) eum campis etiam, qui ſunt in circuitu eorum iuxta confinia infraſcripta, videlicet ab Occidente à fonte Cromida, & à pede loci Muricos appellati, qui deſcendit rectus vſque ad fluuium Chelandræ, qui recto curſu deſcendit ad mare, & per maris ripam vſque ad Eccleſiam ſancti Georgij, & ab ea tendit ad fontem, qui dicitur Ducatus, & inde ad alium ſupradictum fontem Cromida. Hæc omnia, vt diximus, per te iuſte obtenta, & poſſeſſa, nobis etiam confirmantibus, vt ſupra, volumus, vt ea in perpetuum, ſine perturbatione aliqua, vel moleſtia obtineat, & poſsideat præfatum Monaſterium ſancti Anaſtaſii, & illius Abbas, & eius ſucceſſores, quemadmodum prædicta Monaſteria, videlicet illud ſanctæ Mariæ ad Pontem Pollicorij cum omnibus bonis eius mobilibus, & immobilibus, & illud Dei Genitricis Iſcã zanæ ſemper ea omnia obtinuerunt, & poſſederunt. Si quis autem ex his, qui ſub noſtra poteſtate exiſtunt tam ex Præfectis, ſeu Miniſtris, quam ex Equitibus, ſeu Popularibus, vel nos ipſi, ſeu hæredes noſtri, hæc à nobis confirmata modo aliquo immutare, alterare, ſeu irrita

Finiũ deſcriptio.

Amnis Chelãdra.

Fons Ducatus.

Fons Cromida.

facere

facere (quod nunquam ſiat) tentauerit, Nos quidem, & noſtri hæredes, maledictionis Sanctorum Patrum participes efficiamur. Illi vero quinquaginta libras auri veſtiario, & alias quinquaginta Eccleſiæ, & eius Abbatibus ſe nouerint ſoluturos, atque indignationem noſtram incurſuros. Præſens vero Priuilegium firmum, & infractum vſque in perpetuum duret, & permaneat. Quod etiam ab abundantiorem ſecuritatem, noſtra Bulla plūbea roboratum, & noſtra ſubſcriptione munitum, & manu propria Mina Notarij noſtri ſcriptum, traditum, & conceſſum fuit tibi Venerandiſſimo Abbati Nilo, Menſe, Indictione, & Anno ſupradictis.

In cunctis priuilegijs largitores, iſtas ſibidiras imprecantur, ſi promiſſa violarint.

† *Signum manus Alexandri Claromontis.*

† *Signum manus Ricciardi huius fratris.*

† *Andreas Martini præſens ſubſcripſi manu mea venerandam Crucem Teſtis.*

† *Vuus filius Gulielmi Phileanaldi præſens ſubſcripſi manu mea venerandam*

randam Crucem Teſtis.

† *Raos Donatus tunc Præfectus Pollicorij Domini mei, Domini Alexandri Claromontis ſubſcripſi manu mea venerandam Crucem Teſtis.*

† *Gulielmus Sangianus habitator Caſtronoui ſubſcripſi manu mea venerandam Crucem Teſtis.*

† *Ioannes Varini ſubſcripſi manu mea venerandam Crucem Teſtis.*

† *Petrus Cambrinus habitator Claromontis præſens ſubſcripſi manu mea venerandam Crucem Teſtis.*

† *Vuus filius Rainerij Conteſtabilis præſens ſubſcripſi manu mea venerandam Crucem Teſtis.*

† *Vuus filius Aſcanij habitator Claromontis præſens ſubſcripſi manu mea venerandam Crucem Teſtis.*

Dete-

Ex actis in regio ſenatu, et ex litteris D. Nicolai Ricij ad Commendatariũ. Principis in Ferdinandum actiones.

Deterioriam Principis cauſſa videbatur, poſteriores relatura, ſi deuẽtum in ſententiam foret, nihilominus Princeps, innato faſtu prætumidus, modis omnibus Ferdinandum vexare, vltro in ditionem impetum facit, Abbatiales miniſtros, aut verberibus, aut vinculis deterret, in Commendatarium ſubditos inflammat, vt aperte à domino deſciſcant, denegatis obſequijs, nemo ex ſecularibus audet Carbonij ius dicere, ob metum à Principe, facinoroſe, & audaciſſime, inſiliente in iura monaſterij; quodam Notario nomine Marco, ad hoc peculiariter delecto, cogitur Ferdinãd⁹ loco iudicis, et magiſtrat⁹, monachos conſtituere, vt ius dicant, a cellulis ad Prytaneum, à ſilentio ad tumultum, à precibus ad lites euocati, vtque reſpondeant citationibus, & comminatorijs libellis. Ciues Sancti Eliæ rebelles, ex gentis leuiſsimæ guſtu, litium tumultibus ouantis, & aduerſus dominos præſertim, cuncta Principi defe-

Marcus Notarius vir inſolẽtiſsimus, ex actis litis, & ex libellis ſenatui porrectis. Monachi ius dicunt Carbonẽſes quales

deferunt, illum dominum, ac patronum appellantes, vel in ornatu fontium, locatis Sanſeuerinatum inſignignibus, in contemptum Commendatarij, & infantibus, ad declarandam erga Principem animorum beneuolẽtiam, Beſiniani nomine nuncupatis, illudunt monachos, nec conuitijs abſtinent in Commendatarium, legitimum dominum, ea denique in hominem vſurpant, quæ ne bello quidem tolerantur, ſimul conficiunt inſtrumẽti tabulas, pecunia Principi contributa in hæc pacta, conditionemque, dũmodo ne haſtæ, aut ementium licitationi ſubijcerentur, ipſis inuitis, ſed addictis Sanſeuerinatum nomini, liceret in tutela quieſcere, nulla trium caſuum, ad Principis iuriſdictionem ſpectantium, facta mentione, tanquã nullius imperio obnoxij, aut cœnobij dominium agnoſcentes, eo licentiæ, ac vecordiæ proruperant, aduerſus Deum, ac Sanctos, in quorum tutela venerabile cœnobium eſt, eritq; San-

Subditorũ contumacia.

Ex actis litis in Magna Curia.

Ex inſtrumento donationis.

Cœnobiũ in tutela cælitum.

alacrior redditus victoria aduerſus Regium fiſcum, adoham à Monaſterio repetere aggreſſum reportata, allatis in medium priuilegiorum aceruis in fauorem cœnobij, adſcribamus verba ipſius ſententiæ in Regia Summariæ Camera prolatę.

IN cauſa in Regia Camera Summariæ inter Regium fiſcum ex vna, & Reuerendum Ferdinandũ de Rogerio Abbatem Sancti Eliæ de Carbono parte ex altera, de, & ſuper petitione taxationis prætenſæ adohæ pro Terra Carboni, Prouinciæ Baſilicatæ, ac adoharum impoſitarum, & non ſolutarum, & alijs, prout in actis cauſæ, & Mandato continetur.

Viſis actis, & ſcripturis, ac Priuilegijs præſentatis, ex parte dicti Reuerendi

rendi Abbatis Ferdinandi de Rogerio, Abbatis dictæ Abbatiæ, per Magnificum Dominum Hieronymum Albertinum Regiæ Cameræ Præſidentem, & cauſæ Commiſſarium, & de eiſdem facta per eundem relatione in Banca, coram alijs Dominis Præſidentibus, & audito Regio Fiſco, fuit per eandem Cameram, conſenſu prouiſum pariter, & decretum, quod dictus Reuerendus Abbas Ferdinandus pro dicta Terra Carboni, & taxatione, vt ſupra, prætenſa, ac ſolutione dictarum adoharum, vt ſupra, petitarum, non moleſtetur, ſed ſeruetur immunis iuxta formam ſuorum priuilegiorum, prout præſenti decreto non moleſtari, & ſeruari immunem decernitur, & declaratur hoc ſuum &c.

Conſenſu. Nardus Antonius pro Notario.

Interim in hoc repetūdæ æſtu Scāzanę abſumitur Ferdinādus, podagra vel in iuuenta vexatus, Ludouico germano in Commendam ſuccedente, hic paulo ante miles externis bellis meruerat, tam militiæ procliuior, quā à toga alienior, nimia licentia cuncta ſibi arrogans, elatus, & à muſis, ac doctrinis abhorrens, nec religioſe erga cæleſtia affectus, quod propriū bellantium eſt, eorumque, qui ſacræ militiæ, ob lucrum, nomina dant, nullis blandimentis in pacatioris vitæ ſtatum euicti. Remittitur cum Principe bellum, degener Ludouicus à fratre, ſimilior auunculo, paciſcitur interpoſitis pactionibus, Regio aſsēſu, à Principe impetrato, quo acta rata manerent, & reſcripto Apoſtolico in grauiſsimum, atque inexpiabile Cœnobij, reique Eccleſiaſticę detrimentum. En fulmina ab Vrbe contorta viſceribus noſtris, ac fibris lethaliter hęrent, vt reuelli alte affixa non poſſint, fruſtra de ſecularibus poteſtati-

Ludouic⁹ in Commendam ſucceſſor qualis.

Religioſi ob mercedem.

Ex inſtrumento trā ſactionis.

Anno. ciↄiↄxlÿ. xiÿ.Kal. Maÿ.

Iuſtiſsima querela.

bus querimur, cum telo ipſi noſtro occidimus, vnde remedium, & pharmacum rei ſpirituali ægrotanti, ac ſæculari iudicio ſauciæ, expectatur, uirus propinatur, & mors. Audiant Sacroſancti Principes noſtri, & vere intelligant, quantum Eccleſiaſticis rebus detrimentum infertur, Sacrarum largitate ſcriptorum, ad placita, nutumque petentium Baronum, quorū omne ſtudium in opprimenda Eccleſiaſtica libertate, ſplendeſcit, anhelantium ornamenta templorum, & ſacerdotiorum redditus, ardor ille benemerendi de numine iam pridem alſit, irriſis veterum pietate, ac liberalitate erga Chriſti famulos, & monaſteria, ſimplices illos compellando, & obeſi ingenij, ac bardos, cum ſoli ſibi ſapere, & recte ſentire videantur, turba canum ſuorum, ideſt miniſtrorum, deteriori dominis ingenio, abſtruſa cœnobiorum indagantium, atque in propatulo, ad ludibrium, ſacratorum vitia exponentium, quaſi homines,

Baronum ſtudium.

Miniſtri inſtrumenta peſſima.

non

non Deus in famulis ſuis eludatur, diſpliceāt tibi mores, ſed manus a bonis monaſteriorū cohibe, quibus impotentiſſime inhias, his tu ſtimulis, damnandorum ſpecie vitiorum in ſacratis, confoderis. En tenuiſſimi, vel Caſtelli, pagiue Baro, nonne fœminā in Britannia dominantem, ſibique ſacroſanctam poteſtatem ſcelerate aſſerentem, imitatur? cur in illius impijſſima ſacrilegia, & nefariam tyrannidem ſtridemus, ad Oceanum ſemotæ, cūm intra viſcera noſtra, intraque ſanctiſſimos penates, in ipſis focis, ariſque, Barones rem diuinam, & ſacroſanctæ poteſtatis arcanum atrociſsime iugulent? Tranſmiſſo ex Vrbe Diuali reſcripto, initur pactio, ſeu trāſactio, Eccleſiæ funeſta, dedecoroſa monaſterio, & pijs largientium manibus luctuoſa. Ceditur Scanzanæ poſſeſſio vberrimi ſoli, latiſsimorumque finium, interemptis monaſterij iuribus, tercentum triginta dumtaxat ſcutatis ſoluendis in ſingulos annos,

Vrgentur Barones

Diuale reſcriptum.

Scanzana fit alieni iuris.

compaginantur quædam in ſpeciem honeſti, quo turpitudo tranſactionis operiretur, ſed ecce miraculum, & iraſcentium numinum properata vltio. Princeps inſigni gaudio exultabundus, ſibiipſi, & maioribus factus iniquior, quorum magnæ pietatis monumenta cernebãtur, auito virium robore, & ſpectatę frontis decore nudatur, attentatus valetudine, in Franciam, balnearum medelis, infeſta morbi depulſurus proficiſcitur, nec tamen votis reſpondit euentus rei, amarior factus, non tamen intermittit bellum aduerſus aras, & monaſteria, quæ in omni ditione ſua, quę erat ampliſsima, vrgere & vexare non deſtitit, neque ditior, nec felicior redditus, dono ſerici vectigal à Carolo v. Auguſto acceperat, quem ex Africa victorem, Hariadeno Aenobarbo Tunetanis arcibus depulſo, totque Chriſtianorum millibus barbaricæ ſeruituti exemptis, & Mulcaſſe legitimo Rege in auita terra imperitarę iuſſo, feliciter

Cæleſtis vltio.

Princeps in Frãciã proficiſcitur.

Princeps degener.

Caroli V. victoria.

liciter regreſſum lautiſsime, auguſtiſſimeque, cum omni exercitu ſuſcepit, excitata de ſe, auitiſque opibus, magna apud Auguſtum admiratione, ex vnius reguli ditione amplitudinem, Sanſeuerinatum familiæ metientem, haud læto pectore, ſuæ, alienæque fortunæ æquiſsimum æſtimatorem, defleta Aragonenſium Regum imbecillitate, tantę familię fulgore perſtricta, pergentẽ in Campaniam Ferdinandus Sanſeuerinas Salerni Regulus, Beſiniani gentilis, penatibus exceperat, haud minori faſtu, pompaque, magnitudine nominis, & beneuolentia, & auctoritate apud proceres, populoſque longe maximus, clariſsimuſque, exitu tamen turpi, & infortunato. Ludouicus Commendatarius, cum voluptuoſe viueret, & illicitis baccharetur, animi pręrupti, & militaris, excitauit in ſe ſubditorũ animos, Romæque apud Principem, multorum criminum reus poſtulatur. Carbonenſium hominum genus eſt

Caroli V. prudentia

Ferdinandi Salernitani reguli opes, & auctoritas

Ex libellis Pontifici Maximo porrectis, & ex depoſitione teſtium.

Carbonenſium gen⁹ hominum quale.

litibus gaudens, pronumque ad maledicendum dominis, humili adulatione, nec infacundo pectore noxium, ancipitibus animis, turbas, & ſeditiones libentiſsime agitat, odio in monaſterium, ſi iura tueatur ſua, aduerſus eorum cupiditatem, erga Principem, metu attinetur, ſed ſi vrgeatur, ſtatim in Commendatarij tutelam, complexumque ſe conijcit, quo aduerſus Principem defendatur, vtrique infidus, ſemperque animo fluctuans, nutanſque, vt vere quis dixerit, ab his aut tingi, aut vri, tracta ſimilitudine, ac propietate à carbonibus; Ludouicus munerum magnificentia, (quæ vbique gentium patrocinatur vexatis naufragãtibuſq; & apud venales potiſsimũ animas poteſtateſq;) iudiciali telo exemptus, trãquillato tumultu, lętior pergebat ad reliqua, ſuperiori vitæ ſimilia, atq; illicita voluptatũ ſecretis hortorũ amœnitatibus, ac nemoribus ſæpiens, nõ tamen latebat homines, ſed vltione diuina extingui-

Adagium de Carbonenſibus.

Ludouici mors.

tinguitur, firmę valetudinis, corporiſque robuſti, obſtupeſcentibus familiaribus, gentilibuſque, & miraculum, numenque indignatum noſcentibus, genitrice in nullum propulſa luctum, aut reuoluta in fletum, falſa filij errorem in prodendis monaſterij iuribus, inſtructoque conuiuio, vix filio tumulato, magnifice fruitur, conuocatis domeſticis, & bene ſperare iuſſis, quaſi vnius interitu expiatæ ſuperum diræ fuiſſent, & piacula domus. Ab obitu Ludouici, Cæſar ex germano nepos Commendę dignitate circundatur, adhuc tenellus, alieno arbitrio rectus, & licentius inter fœminas educatus, humanus, liberaliſq; nec ſubditis grauis, deſtitutuſq; litterarũ auxilio, atque ornamentis, voluptatibus delinitus, inter aucupia falconum, & venationes, intra decem fere, & ſeptem annos, nihil præclari geſſit, nullo ferme, aut exiguo in cœnobium, tẽplumq; collato beneficio, ſed domo ſua bene ditata, cum tamen

Ioanna Angela Geſualda conſtantia in obitu filij.

Cæſar Rogerius Ludouici nepos.

Cæſar qualis.

nepotes

nepotes eius inopia intabuerint, veteres fortunas, & cumulata ex cœnobij redditibus, ſpolia, feſtinanter helluati, quod ſemper male vtentibus re Eccleſiaſtica accidere animaduerti, præſentiſſimo numine iuſtam vltionē repoſcente, ex auaritia ſacerdotum, cum templa ornamētis nudata, & ſitu obſita, ac ſquallentia, cum perturbatione hominum, ad omne ludibriū abiecerint, aut ex male adminiſtratis redditibus, quibus plerunq; inhoneſtæ perſonę pingueſcūt, filijs, & ſubditis fame vexatis, aut miſere cōtēptis, poſſem afferre exempla quamplura, inſignium etiam poteſtatum, quarum quanto ſtrictior peccandi licentia, tāto inexſcuſabilior error, ſed rem attigiſſe ſat eſt, iraſcentur profecto nobis, qui tali ſe piaculo obſtrictos ſentiunt, quaſi ad ictum commōſtrati ex alienis vitijs. Cæſaricum initio Commēdę, cuncta ad votum fluxiſſent, extrema rumoribus, perturbatione, ac litibus inſonuere, accenſis ciuili certamine

Sacra res male vtētibus feral les.

Nota.

mine

mine animis ipſius, ac Ioannis Pauli Amanij, Anglonẽſis Epiſcopi. In hoc conatu premendi cœnobii, & Epiſcopali mucrone exanimandi, primus arma cepit, Roberto Neapolitano rege dominante, anno cIɔcccxiix. Marcus Anglonenſis Epiſcopus, auctoritate præcipuus apud regios miniſtros, ſimul occaſione illectus, abſentis Pontificij ſolij trans Alpes amoti à Clemente V. maxima cum totius Italiæ clade, rerumque Eccleſiaſticarum, diſturbatis monaſterijs, occupatiſue, aut Baronum, Epiſcoporumue imperio violenter mancipatis, nullo contra nitẽte, procul Romano fulmine: acerrime concurſum eſt, & litibus abſciſſis, deuentum in concordiam, verbis ſpecioſam, re inanem, cum Epiſcopus ingenti cupiditate æſtuaſſet, conferẽdi Chriſma, Sacerdotia, & dignitates, videlicet Archipresbyteratus, & Cãtoratus, adeundiq; Pontificali auctoritate templa, & ſacra pleno iure, vt princeps faciundi, irritis Epiſcoporũ om-

Lis inter Epiſcopũ, & Abbatem.

Marcus Epiſcopus Anglonenſis.

Ex actis tranſactionis.

Tria in uotis apud Epiſcopum.

omnium votis, cum nemo eorum deſiderium hoc impleſſet, à Marco Epiſcopo vſque ad Ioannem Antonium Scotium Neapolitanum obſeruatum eſt prætorium edictum. Vti poſſidetis, ita poſsideatis, hic ex more gentis ſemper inquietis, quęſtionem Hyeronymo Continantiæ Archimandritæ de iuriſdictione mouit, cauſſamque Epiſcopalem, diuturnitate temporis iugulatam, à buſto in lucem reuocare; & tanquam exulem poſtliminio reuerſam penatibus excipere, annixus eſt, veteri in monaſterium liuore incenſus, & iamdiu bellum machinatus, altus in Schola Beſiniani Principis, inter miniſtros auctoritate inſignis, haud ſpernendi vir ingenij, atq; doctrinæ, animi pugnacis, mira nec indigna Epiſcopali munere complexus, amator cleri, ornatorque templorum, que procul oculis Præſulum, inter mercenariorũ miniſteria, manuſq; ſquallẽtia, & horrida ſpectabãtur. Non ſe deſeruit Archimandrita, prolata

Prætoriũ edictum.

Ioannes Ant. Scotius Epiſcopus.

Lis aduerſus cœnobium mota.

lata

lata ſunt Priuilegia,& oſtēſa diplomata ſummorū Pontificum quibus cautum, declaratumque eſt, Monaſterium Carbonenſe terrarum dumtaxat ſubeſſe rectori, pendereq; à Sacroſanctæ ſedis Imperio, poteſtateque; ſed adijciamus ſacras Pontificum paginas.

Innoc. v.

Carbonēſe Monaſterium Rōmanæ ſed ſubiectum

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis Archimandritæ, & Conuentui Monaſtedij de Carbone, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis ſancti Baſilij, Anglonenſis diœceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Iuſtis petentium deſiderijs dignum eſt, nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu proſequēte conplecti. Eapropter dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum, in quo diuino eſtis obſequio mācipati, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rat onabiliter poſſidetis, aut

in

in futurum iuſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem redditus, terras, domos, poſſeſſiones, vineas, & alia bona veſtra, ſicut ea iuſte, & pacifice obtinetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. S quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Lateran. III. Non. Maij, Poutificatus noſtri anno primo.

Locus, perſona, & bona in protectione S. Petri, & ſedis Apoſtolica.

Anno ciↄ-cclxxv.

†

P. Rom. † *V. de Sancto.* † *B. Perus.*

†

Innoc. vi.

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Archimandritæ, & Conuentui Monaſterij ſancti Eliæ de Carbono Ordinis ſancti Baſilij, Anglonen. dioeceſis ſalutem, & Apoſtolicã benedictionẽ. Cum à nobis petitur, quod iuſtũ eſt, & honeſtũ, tã vigore æquitatis,

quam

quam ordo exigit rationis, vt per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per Priuilegia, vel alias indulgentias vobis, & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates, & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus, & Principibus, alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis, & Monaſterio veſtro indultas, ſicut ea iuſte, & pacifice obtinetis, vobis per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Auinion. XIII. Kl. Aprilis, Pontificatus noſtri anno nono. A. de Fabrica. Io Honor. Riccardus de Frattis.

Confirmatur indulgentia, & diplomata Romanorum Pontificum.

Confirmãtur Regũ, ac Principum priuilegia.

Anno ciɔ-ccclxi.

B*Onifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Iacobo de Carbono,* *Bonifa. ix.*

Archi-

An audĕdũ Anglonenſibus ampli⁹ Epiſcopis aduerſus diuales ſanctiones ſcriptaq; eritẽ en nonne Apoſtolico mucrone eorũ cauſſa iugulata eſt?

Archimandritæ Monaſterii ſancti Eliæ de Carbono Romanæ Eccleſiæ immediate ſubiecti, Ordinis ſancti Baſilii Anglonen. diœceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Inter ſollicitudines varias, quæ nobis ex iniunctæ ſeruitutis incumbunt officio, illa maxime pulſat, & excitat mentem noſtram, vt circa Eccleſias, & Monaſteria omnia præſertim Romanæ Eccleſiæ immediate ſubiecta, ſolcrtiam adhibentes, ipſorum vtilitatibus intendamus, in eo maxime vt illis, quæ ſuis ſunt viduata paſtoribus, tales miniſtros præficere ſtudeamus, per quorum regimen Eccleſiæ, & Monaſteria ipſa vtiliter valeant gubernari. Dudum ſiquidem, quondam Gabriele Archimandrita Monaſterii ſancti Eliæ eidem Romanæ Eccleſiæ immediate ſubiecti, Ordinis ſancti Baſilii Anglonen. diœceſis regimini prædicti Monaſterii præſidente, Nos cupientes eidem Monaſterio, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis prouidentiã de perſona idonea ſalubriter prouidere, prouiſionem eiuſdem Monaſterii ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſeruandam, decernentes extunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper ijs per quoſcunque quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari.

Apoſtolico paſſim telo Anglonenſis cauſſa confoditur ad tollendas lites.

tentari. Poſtmodum vero prædicto Monaſterio per dicti Gabrielis Archimandritæ obitum qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione huiuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad prouiſionem ipſius Monaſterij celerem, & fœlicem, de qua nullus, præter nos, hac vice ſe intromittere potuit, ſiue poteſt, reſeruatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Monaſterium ipſum longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudijs intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Monaſterio perſonam vtilem, & etiam fructuoſam cum fratribus noſtris habuimus diligentem. Demum ad te Priorem dicti Monaſterij ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium prouidentia, & temporalium circunſpectione, & alijs multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna teſtimonia perhibentur; direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Monaſterio de dictorum fratrum

M conſi-

cõſilio auctoritate Apoſtolica prouidemus, teque illi præficimus in Archimãdritã curã, & adminiſtrationẽ ipſius Monaſterij tibi in ſpiritualibus & tẽporalibus plenarie committendo, firma ſpe, fiduciaq; cõceptis, quod dirigente Domino actus tuos, præfatum Monaſterium per tuæ induſtriæ, & circunſpectionis ſtudium fructuoſum proſpere dirigetur, & grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod in eodem Monaſterio ſolitus Monachorum, & Miniſtrorum numerus nullatenus minuatur. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus onus regiminis dicti Monaſterij deuote ſuſcipiens, ſic te in eius regimine ſalubriter exercendo fidelem exhibeas, & etiam fructuoſum, quod ipſum Monaſterium per tuæ laudabile diligentiæ ſtudium gubernatori prouido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſum, tuq; præter æternæ retributionis præmium, noſtram, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde vberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XII. Kl. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

Nõ minuatur numerus monachorum.

Anno cIↃcccciv.

Altera

Altera deinde quæſtio in medium fuerat allata aduerſus eundem Archimandritam de Oblatis, quos in aliena ditione, ex omni hominum genere, adſciſcebat cum capitibus, atque fortunis, in famulatum, & ius, patrociniumque ſancti Eliæ, ex antiquiſſima diplomatum prerogatiua, ac Principum, Regumque indulgentia, pietateque, non ſine fremitu, indignationeque Ordinariorum, atque Baronum, aduerſus quos poſtea Romanus Pauli Archimandrita ſepe laceſsitus, animoſe prorupit, tali à Ferdinando Rege impetrato reſcripto.

Quæſtio de Oblatis cœnobij.

Habentur quàm plurima & vetuſtiſſima oblationes tam clericorũ, quã laicorum.

FErdinandus Dei gratia Rex Siciliæ, Hieruſalem, & Hungariæ Illuſtribus, Magnificis, nobilibus, & Egregijs viris Magiſtro Iuſtitiario huius Regni, eiuſque locumtenenti, ſeu Regenti, & Iudicibus magnæ Curiæ Vicariæ, nec non Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Terrarumque Dominis, & Dominabus, Viceemgerentibus, Inſuper Gubernatoribus,

Iuſtitiarijs, Capitaneis, Commiſſarijs, Baiulis, Iudicibus delegatis, & ſubdelegatis, & ceteris demum vniuerſis, & ſingulis officialibus, & ſubditis noſtris, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus quocunque nomine nuncupatis, ac officio, Iuriſdictione, & auctoritate fungentibus, eorumque locatenentibus, & ſubſtitutis, ad quem, ſeu quos ſpectet, præſentibus, & futuris, Collateralibus, Conſiliarijſque fidelibus noſtris dilectis gratiam noſtram, & bonam voluntatem. Nouiter pro parte Reuerendi in Chriſto Patris Fratris Romani Archimandritæ Venerabilis Monaſterij ſancti Eliæ de Carbonis, fuit Maieſtati noſtræ, ſeu noſtro Sacro Conſilio oblata ſupplicatio quædam tenoris ſequentis. Sacræ Regiæ Maieſtati reuerenter exponitur, & humiliter ſupplicatur pro parte Reuerendi in Chriſto Patris Fratris Romani Archimandritæ Venerabilis Monaſterij S. Eliæ de Carbonis, Prouinciæ Baſilicatæ, Oratoris Maieſtatis eiuſdem, dicentis. Quod cum idem exponens, nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ habuerit, prout habet quamplures Vaſſallos, Rendentes, Emphyteoticos, Fratres, Clericos, Presbyteros, & alias perſonas, & Offertos ſubiectos ſuæ Iuriſdictioni, & aliquos exemptos, quorum

Oblati. hoc facit aduerſus Barones, et cõmunitates hac ſup re tumultuãtes, & inuidia ĩ cœnobiũ tabeſcentes.

rum aliqui eorum fuerunt, & ſunt inobedientes, aliqui vero eorum ſalutis immemores, inſiluerunt etiam cum armis contra eum, aliqui recuſant reſpondere de redditibus, decimis, cenſibus, & alis Iuribus debitis eidem ſupplicanti, & ſuæ Eccleſiæ, committuntque multa alia delicta, opprobia, etiam rebelliones contra ipſum exponentem. Et quia ſupplicans ipſe fuit, & eſt perſona Eccleſiaſtica, & non poteſt dictos delinquentes punire, alioſque inobedientes caſtigare, dictoſq; Rendẽtes, Vaſſallos, Emphyteotas, & Cẽſuarios cogere, & compellere in perſona, nec in bonis, in maximũ damnũ, & præiudicium dicti ſupplicantis, & intereſt ipſius ſupplicantis, & dictæ ſuæ Eccleſiæ habere brachium, fauorem, & auxilium veſtræ Maieſtatis, veſtrorumq. officialium. Idcirco dignetur veſtra Maieſtas exorata indemnitati ipſius ſupplicantis, & dictæ ſuæ Eccleſiæ ſuper præmiſſis prouidere, & brachium veſtræ Maieſtatis implorando committere, & mandare omnibus, & quibuſcunque Officialibus præſentibus, & futuris, & ſubditis vestræ Maieſtatis quocunque officio, & Iuriſdictione fungentibus, quatenus eidem ſupplicanti, & dictæ ſuæ Eccleſiæ tam contra ſuos Vaſſallos, Rendentes,

emphy-

Emphyteutas, Cenſuarios, debitores, & detemptores bonorum dictæ Eccleſiæ indebite exiſtentes tam in eius Iuriſdictione, quam extra, & vbique in toto Regno, quam contra ſuos Presbyteros, Clericos, Fratres, Offertos, ac Procuratores dictæ Eccleſiæ, & alias quaſuis perſonas circa conſequutionem Iurium dictæ Eccleſiæ, & carcerationem, ſeu deteptionem perſonarum eorũdem, perſonaliter ſiue realiter ad omnẽ ſimplicẽ requiſitionẽ ipſius ſupplicantis, & ſuorũ Procuratorum, præſtent eidem auxilium, conſilium, & fauorem, & exequantur ea, quæ eidem ſupplicanti, & dictæ ſuæ Eccleſiæ fuerint neceſſaria, & opportuna, & proinde mandari fieri literas opportunas, vt Deus &c. Qua quidem ſupplicatione, vt prædicitur oblata, fuit pro ipſius ſupplicantis parte noſtræ Maieſtati, ſeu noſtro Sacro Conſilio humiliter ſupplicatum, vt indemnitati ipſius noſtrum brachium, & fauorem implorando ſuper contentis in dicta ſuprainſerta ſupplicatione, opportune prouidere dignaremur. Nos dicta ſupplicatione benigne audita, & admiſſa, huiuſmodi Iurium, reſponſionum, obedientiarum, in dicta ſupplicatione contentarum, indebitas renitentias ægre ferentes, volentes

Oblati carboñẽſis monaſter. In Lucaniä, & Calabria viget hac conſuetudo offertorum, ſeu oblatorum recipiendorũ ex indulgentia Principũ, Regũque, unde fomes, & ſeminarium litium cũ Baronibus & Epiſcopis.

tes ſuper his, quantum in nobis eſt, opportune prouidere, harum ſerie de certa noſtra ſcientia, præfatique noſtri Sacri Cōſilÿ matura deliberatione præeunte, vos perſonas Eccleſiaſticas requirimus, & hortamur, vobiſque alÿs prædictis dicimus, committimus, & mandamus, quatenus vocatis vocandis, dicto ſupplicanti, & quibuſcunque eius, & dictæ ſuæ Eccleſiæ fautoribus, Procuratoribus, & adminiſtratoribus nomine, & pro parte ipſius ſupplicantis, & antedictæ eius Eccleſiæ ſuper præmiſſis, & contra prædictos in dicta præinſerta ſupplicatione contentos ſummarie, ſimpliciter, & de plano, remotis omnibus calumnÿs, ſubterfugÿs, & dilationibus, ſola facti veritate inſpecta, Eccleſiarum expoſcente fauore, prout ad vnumquemque veſtrum, & Iuriſdictionem veſtram melius ſpectat, & pertinet, Iuſtitiam expeditam miniſtretis, & faciatis. Cogentes, & viribus, quibus decet, compellentes eos, quos præuia cognita prædicta, reperietis oblatos, & ad prædicta, & infraſcripta teneri pronunciabitis ad præmiſſas prætenſas obedientias, reſponſiones, & alia Iura eidem ſupplicanti debitas, & conſuetas nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ, taliter quod ſuppplicans dictæ ſuæ Eccleſiæ

Preces fuere, ſed quibus contra dici nō potuit.

nomine conſequatur, & habeat integrè quicquid ab eiſdem iuſte, & legitime habere debet, præſtantes, & præſtari facientes eidem quo ſupra nomine, prout ad veſtrum quemlibet melius pertinet, debitos fauores, ac conſilium, & auxilium oportuna pro conſecutione eorum in eadem ſupplicatione contentorum iuſta, ſolita, & conſueta, neminem indebite, & contra iuſtitiam aggrauando. Committentes vobis ſuper præmiſſis cum dependentibus, emergentibus, & connexis ex eiſdem auctoritatem, & poteſtatem noſtras plenarie per præſentes. Et contrarium non faciatis, ſicut vos decet, perſonæ Eccleſiaſticæ nobis complacere, alij vero prædicti officiales, & ſubditi noſtri gratiam noſtram caram habetis, iramque, & indignationen, ac pœnam vnciarum centum noſtro Fiſco applicandarum cupitis non ſubire. In cuius rei teſtimonium præſentes fieri fecimus, noſtro ſigillo pendenti munitas, remanſuras ſingulis vicibus præſentanti. Dat. Neapoli in Sacro noſtro Conſilio, per Magnificum vtriuſque Iuris doctorem noſtrum Conſiliarium, & Viceprotonotarium Lucam Tozolum Romanum locumtenentem ſpectabilis, & Magnifici viri Honorati de Aragonia

nia Gaietani, Fundorum Comitis, Regni Logothetæ, & Protonotarij, Collateralis Conſiliarij fidelis nobis plurimum dilecti, die quarto Menſis Iunij, quintæ Indictionis. M.CCCC.LXXII.

Rex Ferdi.

In reſcripto habetur regia manus.

Dominus Rex mandauit mihi Bartholomæo de Raneto.

Soluat tar. vnum.

Angelus de Riena vidit.

Scotius

Scotius cum vltra progredi non poſſet, ſua deceptus ſpe, deſtitit ab incœpto, & ſapienter, lenita iracundia, iterum pax fuit, & quies ab Epiſcopis, vſque ad Ioannem Paulum Amanium, non ſordidi Præſulem ingenij, & multa rerum experientia nobilem, auctoritate, & doctrina præpollētem, placidum aulicum, & natura facilem, fotumque Ferrarienſi, & Ateſtino Cardinalibus, præcellentis auctoritatis, & inter præcipuos eminētiſsimis.

Ioannes Paulus Amanius Epiſcopus Anglonenſis qualis.

Cæſar Rogerius Syneſij commorabatur hyemali ſydere, cum Carbonium, licet ſaluberrimi cæli, & æſtate placidiſſimi, hyeme niuibus inhorreſcat, haud longo interuallo ab Apennini iugis ſepoſitum, & flante Auſtro, monaſterium præcelſo ſitum loco, vehementiſsime deuerberatur, huic malo ſylua ingens abietum obuiam ibat, (Vaccaricium incolæ vocant ſolum gelidiſsimis fontibus irriguũ, & æſtate, lætum virenti ſemper gramine, & paſcuis iucundum) cæſa ab incolis ex

Carbonij deſciptio.

ea

ea parte, quæ monaſterium reſpicit, cæterum intacta, porrecto dorſo, Apénini frigoribus ſubiacet, cuncta opacās, ſimul & Xyropotami, (quem ſiccum torrentem interpretaberis cum æſtiuo cælo, nulla aquarum gloria fluat, minutis fontibus, & paruulis means) voraginoſo curſu, ſtrepituque ſaxorum inter ſe collidentium, perſtringatur: at Syneſij placidior hyems & Ionij maris proſpectu lætior, nec Aquilonis flatibus adeo obnoxia, cū è contra, vere appetente, æſtateque; grauius illic cælum, & incolentibus in proſperum, aut nimijs caloribus exæſtuās, aut importuna caligine, cuncta multā ad diē operiens, hoc hodie oppidum, olim florentiſsimum, raris incolis habitatur, graui ęre alieno oppreſſum, ita vt cum domino, loci quoque opulentia, & gloria cecidiſſe videatur, cum in Lucania, ſoli vbertate, generoſitate vini, & frugum copia, omnibus præſtet, & nundinis, bis in anno, mercatuque celebretur, magno adie-

Xyropotamus amnis.

Syneſij ſitus.

Syneſij naſitas, & fertilitas.

Nundinæ bis in anno.

adiacẽtium populorum, & totius Regni prouinciarum concurſu. Hoc igitur in Oppido deſidens Cæſar Rogerius, vineę pernobilis, ac palatij, quod ipſe inſtaurarat, cõmoditate illectus, vt iuuenis, in flore virium, amoribus cuiuſdã mulieris indulgere dicebatur, amatæ etiã Sãſeuerinatib⁹, quos à Beſiniani Principibus deſcẽdere ferunt, vnde acerrimũ certamen exarſit inter eos, & Saponariæ Comitẽ, quẽ fideicõmiſſi beneficio, vocari in hęreditatẽ Comitatus Claromontis, totiuſque Lucaniæ, quãtum ad Principem Beſiniani ſpectat, affirmant, liſque agitata eſt per multos Neapoli annos, magno partium feruore, declaratum tamen in fauorem Sanſeuerinatum, ita vt cenſerentur ex familia, profuſiſſime opes largiunte Sancti Donati Barone, ex ſtemmate eorum Sanſeuerinatum, qui Syneſium incolunt, fremente Saponariæ, (quæ Grumentum olim fuit, extantibus adhuc murorum

Sanſeuerinates litigantesr.

Sententia Neapolitãni Senatus in fauorem Sãſeuerinatum.

Saponariæ Comet, Beſiniani ſtirpi proximior.

rum

rum veſtigijs, vbi quoque inuenta Elephantorum oſſa fuerunt, dum Annibal Pœnorum maximus haud procul Grumento, Romanam virtutem exagitat) Comite, Principis Beſiniani ſtirpi quam proximo, ſi ius valuerit, multis competitoribus in certamen erectis. His inhęret anguſtijs clariſsima domus, & in Italia nulli ſecunda, miſerandum in modum Eccleſiaſticarum occupationibus rerum, præſertim Cœnobij Sancti Eliæ, præcipitata in occaſum, magnum varietatis exemplum, ad commouendos Baronum animos, vt ſe ſe tandem colligant, & animarum ſaluti ac poſteritati conſulant, Eccleſiaſticis rebus, templis, & aris reſtitutis, ne offenſę diuinitatis fulmẽ, certo occaſu ſui, ſtirpiſque experiantur. Longius quam oportebat, à narratione euecti ſumus, non tamen abſque vtilitate legentium, ex auctoritate Demetrij Phalerei, affir-

Beſiniani domus hærede deſtituta

Videant hoc Barones, & bene animis inſinuent.

Sententia Phalerei.

affirmantis infra mortuos, & ſcripta, haberi,& proferri veritatem ſine adulatione, pudore, metuve. Sed mens noſtra haudquaquam actiones execrata ſuas, facilius criminibus indulget,quam patrata deflet, ſubirata,inſenſaq; ſcribentiũ, dicentiumque vocibus,adeo aduerſus veritatem obduruimus emolliti,atque obcæcati amore noſtri. Erat Cæſari Rogerio intimus, & conſiliorum omnium moderator, & particeps, vt olim pueritiæ rector,Melchior Phalamacius, vir ingenij non rudis, Romæ in aula verſatus,callidus, muſicæ deditus, ac lyriſtes, nec moribus incultus, hic laſciuiẽtis fœmellæ leporibus captus,nec ipſe caſtus, non inſcio domino, inter amatores cenſebatur, indignantibus Sanſeuerinatibus æmulatione incenſis, noctu capitur Phalamacius,bene vapulat, vulgi illudentis rumoribus obiectus,non ſine Commendatarij dolore,ac fremitu,indigna res Epiſcopo viſa, moribus caſto, & Baronibus nimium

Melchior Phalamacius.

Phalamacius vapulat.

mium infenſo, quos oderat, vt tyrannos, & depopulatores Eccleſiaſticorũ bonorum, irrueratque in Cyrclarij Marchionem ardentiſsimo ſpiritu, & ad extrema rerum adegerat, increpat Commendatarium, blande monet, hortatur, vt Phalamacium domo pellat, honori ſuo conſulat, nomenque ſuum proſcindi, & in ludibrium verti ne patiatur, reminiſcaturque ordinis, ac dignitatis, non hæc ſua in ditione ab ſe toleratũ iri affirmat. Eludit dicentem Commendatarius, inhærens fœmellę cupiditati, & Phalamacij cõſilijs, obloquitur de Epiſcopo, maligne garriens, fodicanſque animum hominis nequaquam mollem, atque eneruem, acribus, ac iuuenilibus dictis. Relatis vltro, citroq; iactatorijs, ac minacibus verbis, ingens inter vtrumque exarſit odium, haud Chriſtiana modeſtia, & tolerantia cohibitum, Epiſcopus certaminibus litium aſſuetus, arma ab hominibus in Sanctum Eliam, & Cœnobium transfert, veterum

Epiſcopus Baronib' infenſus.

Epiſcopus Archimãdritã, ſeu Commendatarium benigne monet.

Commendatarij imprudẽtia.

Lis inter Epiſcopū, & Commendatarium. Ex actis litis.

veterum querimoniarum, ac litium ſuſcitator, ſtudet, moliturque Carbonij ditionem ſui iuris facere, & premere Rogerij arrogantiam, tam inſolenter ſibi illudentem, perquiſitis in archiuijs Syngraphis, ac membranis, fremit, minatur, incaſsū laborat nullo apud ſe, in ſanctiori ſcrinio inuento diplomate, nulla priuilegiorum occurrente prærogatiua, reſpondenteue immenſæ cupiditati, aut conceptis aduerſus Commendatarium, ac cœnobium ardoribus. Interim abſceden te Neapolim Rogerio, Sebaſtianus Melpha Turſitanus, flagrantiſsima apud Commendatarium gratia, Eliani cuſtos archiuij, & arcanorum omnium conſcius, Phalamacium ſibi prę latum indignatus, ad Epiſcopum trāsfugit, Rogerij abſtruſa illi enudat, addit currenti calcaria, inflammat ad lites, multa mentitus circa priuilegia, ac diplomata monaſterij, quędam impie furatus, multa quoque deturpauit, litura inducta, abraſiſque titulis,

Sebaſtian' Melpha.

Sebaſtiani furtum.

ſed

ſed metuentem, (vt ſunt ſemper formidini obnoxij proditorum animi) & Græcæ linguæ ignarum, nec Diuaſia ſcripta diſtinguentem latuere, (Sancti Eliæ magni Prophetę ope) eminētiſsima diplomatum, quibus laceratis, deuſtiſque, cecidiſſet antiquiſsimi cœnobj decus, ſeruiretque Anglonenſium Epiſcoporum imperio. Epiſcopus cognita Rogerij abſentia, Sancti Eliæ nomen non veritus, nec caritate corrigendorum morum, ornādorumque templorum, quæ cuncta Rogerio imputari poterant & merito, ſed vindictæ cupiditate deflagrans, mittit quoſdam ex ſubditis, ſibi fidos, & notę audaciæ, vt affigerent Carbonij, valuis Sancti Lucæ Abbatis, vbi Clerus diuinis inſeruit, minatorias litteras, quas cedulones vocant, vt ſi Clerus (corruperat nonnullos ex primoribus) affigi pacate ſineret, abſente Commendatario, & Aurelia Hectoris fratris extincti vxore, pauore abſterrita, ſuo ipſe imperio ala-

S. Eliæ patrocinium in re ſua.

Epiſcopi audacia.

Ex actis in proceſſu coram Camera Auditore.

N crius,

crius, ardentiuſque vteretur, in reliqua impetum facturus certiſsimæ victoriæ ſpe, redactoque in ſeruitutem cœnobio, ingens Eccleſiæ Anglonenſi ſuæ decus allaturus, quod æquali ferme ortu cũ Eccleſia Anglonẽſi, progeniti, atq; adulti cœnobij lucẽ, gloriamque late florentem, obruta ſuperiorum Epiſcoporum memoria, quod re toties infauſte tentata, ignaue, infectoque negotio abſceſſiſſent, vnico ipſe ictu, ſine diſcrimine, mactauiſſet.

Carbonenſis Cleri fides. Sed Presbyteri Carbonenſes, omniſque Clerus, præcognita, & intellecta Epiſcopi audacia, ac temeritate, in alienam meſſem, ex inopinato falcem mittentis, affixos cedulones dilaniãt, *Cedulones diſciſſi.* auctores temeritatis pugnis contundunt, tuenturq; prærogatiuam ſuam, vni Commendatario ſubiecti, procul *Ordinarij non innexij.* violentia Ordinariorum, quæ in immenſum creuit, vnde peſſimum exemplum ſeculares poteſtates ab Eccleſiaſticis mutuantur, & æmulatione deterrima inter ſe certant, in ruinam

ſubdito-

ſubditorum, populationemque, vtinam continentiores eſſemus, ne Baronibus, maledicendi nobis, materia ſuppeteret, rapacius in ſuos, & licentius in nos furentibus, baccantibuſque. Regreſſum Neapoli Rogerium, minantem, frementemque, Epiſcopus alijs artibus aggreditur, flagrantiſſime in ruinam hominis incumbens, quoſdam Carbonij ciues in Commendatarium incitat, oſtentato fauore, iam diu male in Commendatarium animatos, ex his princeps fuit Annibal Croccus, qui Epiſcopi cohortationibus impulſus, inhoneſte de Commendatario obloquitur, tactis gynecęi arcanis, arrogantem, & faſtuoſum appellat, quibus Commendatario relatis, bile commotus, exaſperatus quoque Liuij Anatræ ædis Sancti Lucæ Cantoris, occultis vocibus, cum Epiſcopo non dubie ſentientis, Annibalē grauiſsime vrget, regredientemq; domum, in itinere quidam aggrediuntur, diſploſis ſclopetis ad terrorē, qui

Indecens Epiſcopi conatus.

Annibal Croccus aduerſus Commendatariū.

Liuius Anatra Cātor S. Lucæ aduerſus Cōmēdatarium.

Ex ſupplicibus libellis Pontifici Max. porrectis, & ex proceſſu.

 noctu

noctu aufugiens, ſecreto Epiſcopum conueniens, acceptis ab eo litteris, & Romæ amicis vehementiſſime commendatus, cõmeatu inſtructus, in Vrbem venit, defert Summo Pontifici Commendatarium, multis, fœdiſque criminibus onerat, prolatis etiã Epiſcopi litteris expoſtulationum, & criminum pleniſsimis, fit reus Rogerius, in Vrbem euocatur, ipſe illecebris iuuentæ implexus, emollituſq; voluptatib⁹, vix à Phalamacio excitatur, oſtẽtato diſcrimine, præmittitur Phalamacius ad Vrbem, animos pertentaturus, exploraturuſque quo arcana vergerent, ſubſequuturus ipſe Commendatarius, fidiſsimis ſubditorum rem familiarem permittit, Aurelia fratris coniuge, ſummæ rei impoſita, itineri ſe committit multo comitatu, & armatis, prædoct⁹ à Phalamacio, vt vitaret Caſtrũ Sarraceni, ne armatus in aliena, & ſibi infeſta ditione, ad votũ inimici deprehenderetur, cum ipſe longiori circuitu ſtructas inſidias euitauiſſet,

Commendatarius reus deſertur.

Commendatarius voluptuoſus.

Rogerius Carbonio diſcedit.

Phalamaeij conſilium.

uiſſet. Cęterũ Rogerius omnia ſibi licere exiſtimans, gladio ſe accingit, in Epiſcopũ turpiora ructãs, & minitans quoq; ſi vltro ſibi vis afferatur, quo Epiſcopus præcognito, & ipſe nihilo prudentior, aut cautior Rogerio, præmittit electos, qui itineribus inſidentes, diſcutiant, ſi quid armorum in comitatu Rogerij eſſet, deprehenderetur que, ratus non laturum id Rogerium, & perperam auſurum, malo ſuo, nec decipitur, cum iniecta ſatelles manu, equi, cui inſidebat Commendatarius, habenas retineret inſolenti iactantia, Rogerius, ferro educto, ſe defendit, vulnerantur multi, graui cum diſcrimine vitæ, fuſis Epiſcopi ſatelitib⁹, & male mulctatis, ſupra mortale gaudium exultante Epiſcopo, votis ſuis non minus prudenter, quam nefarie conceptis reſpondente euentu. Reus Rogerius Romæ vinculis aſtringitur, ſed diſcuſsis criminibus, non infacunde in Epiſcopi ambitionem inuectus, antiquiſsima priuilegia Monaſterij

Commendatarij temeritas.

Epiſcopi par temeritas

Ex Cantoris epiſtola a d Commendatarium.

Ex actis in proceſſu corã Camera Auditore.

Rogerius Romæ carcere includitur.

Carpitur ambitio Epiſcopi. ſterij proterere,& Cœnobium, ditionemq; ſpiritualem ſibi ſubijcere conantis, cum nihil certi in iuuene deprehenderetur, vinculis relaxatur, promiſſo vadimonio, Vrbs pro cuſtodia fuit, controuerſia rerum ſpiritalium,& iuriſdictionis reiecta a Pio V. *Iul. Ant. Sanctorius iudex in cauſſis electus.* in Iulium Antonium Sanctorium, Sãctæ Seuerinæ Archiepiſcopum, nec multo poſt demiſſum Neapolim Rogerium, dum diſcutiuntur controuerſiæ, mors abſtulit, non ſine veneni ſuſpitione. *Cæſaris Rogerij mors.* Hac periodo finita Rogeriorum ſerie, à Ioanne Geſualdo vſq; ad *Carbonenſis Commenda per lx. annos in domo Rogeriorum.* Cæſarem Rogeriũ, per ſexaginta annos Commenda Carbonenſis cœnobij potita, poſt obitum Cæſaris Rogerij, Carbonenſis Cõmenda Iulio Antonio Sanctorio defertur à Pio v. ſpõte, nulloque prehenſante, ſpecioſior *Iul. Ant. Sanctorius ſucceſſor Cæſaris Rogerij.* danti, quam accipienti, hic xxij. agens annum, aduerſus hæreticos pro fide Catholica, (cum viuẽtibus loquimur, *Iul. Ant. mores, & diſciplina, et actiones* qui me poſſunt mendacij arguere, ſi quid perperam, aut falſum effuderim, vtar tamen modeſtia mea ſtrictior in

ſcriben-

ſcribendo)in acie ſtetit,à Iulio iij. demandatum illi fuit munus anquirendorum hæreticorum, confirmatum à Paulo iv.ſub Pio iv. non modo diſcrimen ab hæreticis, qui eum ſæpiſsime inſidijs appetiuerant,vel domi,& dormientem, & in itinere, verum à Principe decoquente occaſum Pauli iv. affinibus,gentilibuſq;: detulerant hæretici aduerſus hominem rabie inſanientes, eum magicarum cantionum gnarũ, & decoquendi veneni experiẽtiſsimũ, ſtatuiſſe ſubita ui veneni illata Principis cubiculo,animam loquentis intercludere, credita res apud Principẽ multorũ odijs offuſum,& ingenio ſuſpicacẽ,& talia ſępe expertũ, haud diſcuſſa relatoris fide, is fuerat Hortẽſius Abbaticchius ex Coriolano in Salentinis homo tenuiſsimi ingenij,ſed profundæ malitię,cũ exprimendis herbarũ ſuccis, intellecta virtute,aſsidue incũberet, aſsiſtente ſæpè Sãctorio taliũ ſciendorũ auido,vel allatis,ex doctorũ hominum ſcriptis, auctoritate,atq; ſentẽtijs:depulſa mẽ

Accuſatur apud Pium iv.

Hortenſi Abbaticchius doli machinator.

Ex actis in proceſſu.

dacij nebula clarus apud Principẽ cũ admiratione virtutis, honoribus deſtinatus abnuit, ſecuriorẽ vitã ſectatus, effuſuſq; in cõplexũ diſciplinarũ, non intermiſſa cõtẽtione aduerſus hę reticos, qui latẽter in Neapolitanũ ſe regnũ infuderãt, & valida mox auditorũ manu collecta, nõ iã per occulta ſerpendo, ſed palã, hæreticas opiniones euulgabãt, cũ piorum detrimẽto, & ſacrorum iniuria. Pio iv. defuncto Pius v. ſuffectus eſt, tantarũ virtutũ ac sãctitatis, vt pauca de eo delibare, ne fas ſit, plura dicere, exiguitate operis diſtinemur, is deniq; fuit, vt eminentiſsimis par, ſine exemplo, mediocribus ſuperior, is Sãctoriũ in Vrbẽ exciuit, cubicularij ſecreti honore, deinde Archiepiſcopatu Sãctę Seuerinæ, demũ Cardinalatu inſigniuit, de hæreticis deſumptũ eſt ſuppliciũ in Vrbe, & Neapoli, ſeuere in tales Pio crudeſcente, tanquam maculoſos, & viuentibus noxios, conſtabat enim illi, qui innocentes, quiue ſontes, offenſo numine, eſſent, cum Rei ambuſtioni

Hæretici Neapolitanũ regnũ contaminare tentant.

Pÿ v. encomium.

Pius v. auctor Sanctorÿ honorum.

Hæretici puniuntur

Sacrę

Sacrę Inquiſit. Palatij, & Scriptorum conſiderent, Dictatorio imperio ani maduerſum in omnes, nullo fauore contra nitēte pro impijs, ipſe Sanctorius Sacræ inquiſitionis muneri ad ſcribitur retēta ſemper, & in Senatu, & apud regnantes libertate, quę quāto improbis ingratior, tanto magnanimis acceptior habetur. Sint ſui Principi faſces, ſit vmbella cum curuli, præferatur ferrum in vltionem malorum, circumdetur ſtatione corpus, plectent humillima reges, ac populi ſupplicatione ceruices, benedicat ſtratæ humi Chriſtianæ plebi, vtatur imperio, ac iure, ſit numinibus proximus, ſinat tamen liberam in Senatu vocē, blande Senatorum pectoribus veritatem eliciat, non iraſcatur vera dicenti, ac pro Republica ſtanti, vel aduerſus affinium commoda, & immodicas cupiditates. Reliquas Sanctorij actiones, quæ ad Rempublicā, quęque ad rem Romanam ſpectant, in Annales digeſſimus, quos à principatu D. Gregorij xiij. auſpicati,

Libertas dicendi.

Annales.

vſque

Clemens viij.

vſque ad Clementem viij. quem numina ſoſpitent, orbe pacato, perduximus, gratũ fotaſſe poſteritati opus ſine ægritudine prẹteritorum ſcripta ponderanti, ſed longius à deſtinato ſcopo, non tamen ab re, euagati ſumus. Poſt delatam à Pio v. anno ciↄiↄlxx. viij. Kal. Decembris Sanctorio Commendam, initia captæ poſſeſſionis obturbauere inteſtini motus, ſeditioſis ciuibus, quaſi libertate donatis, abſque rectore, nefarie in ſanctum Eliam rebellionem molientibus, & Aurelia à ſororio rerum moderatrice relicta, ac domina, in bona Eccleſiæ graſſante, ſyngraphis, diplomatibus, & omni ſcripturæ genere occultatis, armentis boum, equarumque, & gregibus pecorum, caprarum, porcorumque manus inijciuntur, pars Tarentum, pars Laurentianum abigitur, feſtinante fugam muliere, in viriles curas tanſgreſſa, animo infracto, & in audaciam accincto, diuturnaque Commendæ poſſeſſione detruſa, veluti

Carbonij noui mot^9 exorti.

Ex actis in processu de ſpolijs corã Nuntio Apoſtolico. Anno ciↄiↄlxx.xvij Kal. Ianuarij, & ex relatione facta p magnificũ Chriſtophorũ Romeũ Commiſſariũ R. Cameræ Apoſtolicæ.

luti auita hæreditate, muliebriter ſororij obitum, & infortunium filiorum lugente, ea tamen lege, vt æquiſſimum cenſeret, crederetque iacturam mortuorum, familiæque cadentis ſub leuari, ac reſarciri poſſe Eccleſiæ ſpolijs, ac detrimento, tanquam pro Carbonẽſi Eccleſia ſororius eius obiuiſſet, indignanteque, quod eodem ruentis turbine domus; ſacerdotium ſanctę Mariæ de Cironofria, tanquã gentilicium immerito, & violenter ſibi abriperetur, à Pio v. pariter Sanctorio collatum, & ex liberalitate poſtea Sanctorij, in Hieronymum Fuſcum, ex oppido Epiſcopiæ, in diœceſi Anglonenſi, tranſlatum, à ſecretis, & familiarem, multi laboris, & religioſi ſilentij taciturnitate conſpicuum. Deſudatum diu aduerſus mulierem, pertinaciſſime reſiſtentem, recuperatis armentis, gregibuſque, diminuto tamen numero, diplomata, & ſcripturarum volumina, quod auẽti animo cupiebatur, in poteſtatem deue-

S. Mariæ de Cironofria,

Hieronymus Fuſqualis.

Ex actis ſententia, corã nũtio Apoſtolico aduerſus Philingeriam.

deuenere, peculiari numinis fauore ſeruata,& beneficio ſancti magni Pro phetę Eliæ, in tanta temporum barbarie, & inſcitia ſuperiorum rectorum, tot inter bellorum motus, perturbationeſque hoſtiles, & domeſticas Baronum inſidias. Multa Græci ſermonis,veluti Gręci ritus religioſis conceſſa ſpectabantur, macie obſeſſa, aut carie abroſa, priſcæ Regum pietatis, ac Ducum, præcipuum, ac ſingulare monumentum, quæ omnia iuſſu Sanctorij, latinitati donauit Federicus Metius inter domeſticos claritudine diſciplinarum, & bonitate vitæ pernobilis, vltroq; ad Epiſcopatum Thermulanũ euocatus, & ne pari naufragio, turbinibuſque abripiantur, ad vota aduerſariorum, nos exſcribi, & tranſumptari fecimus. Interim dum cum Aurelia diſceptatur, Carbonenſes genus hominum nouãdarum rerum, tumultuſque auidiſſimum,ex Commendatarij abſentia,licentiam ſibi rerum omniũ ſpondentes,

Peculiaris Numinis fauor.

Priuilegiorũ farrago

Federicus Metius qualis.

Exſcribũtur priuilegia.

Carbonenſium tumultus.

tes, ire oppugnatum Monaſterij iura pergunt, coëuntque in vnum Ioãnes Petrus, Petrus Antonius, Beſinianus, Ioannes Andreas, Iulius, Nicolaus, Ioannes Franciſcus, Bernardinus, Ioannes Dominicus, Nicolaus Ioannis filius, omnes ex familia Damiana, Adarius, Petrus Antonius Caſtellucij, Ioannes Aloyſius, & Annibal de Benedictis, inter ſe munera partiuntur, & quo nefarius ſcelus ſacrigo ſilentio tegeretur, iuraretur que ab omnibus coniuratio, vel ſanguine profuſo, quendam fratrem Vincentium ex oppido Armenti, ex diſciplina Minorum religioſorum, in conſilium adhibent, cuncta illi enarrant, precanturq; vt Miſſæ ſacrificium peragat ipſis pręſentibus, vt in eleuatione ſanctiſſimę Euchariſtię, ad inuiolabilis ſocietatis pignus, ſublatis dextris, iureiurando, impiaque deuotione coniuratio firmaretur: haud dubitatum, trepidatumque apud Minoritam ſimplicis pectoris & ingenij obtuſi,

Carbonenſium coniuratio. Ex actis & proceſſu.

Ex actis & proceſſu & ex Breui Pij V. Anno cIↄIↄl-xxij. Kal. Februarij.

obtuſi, nulloque Dei metu concuſſum, quin Sanctiſsimo, auguſtiſsimoque ſacrificio, quo vtimur ad ſalutem auimarum, ipſe ad nefarium ſcelus, interitumque abuteretur, ſed fas ducimus ſacram Pij v. paginam hac ſuper re, Hiſtoriæ interijcere, quo clarius facti atrocitas intelligatur, ne triuij rumores collegiſſe, aut inania, in alienæ famę detrimentum, cum graui conſcientię labe, iactaſſe videamur.

Coniuratio detegitur.

Dilecto

Dilecto filio Vicario, ſeu Officiali Abbatis, ſeu perpetui Commendatarij Monaſterij ſancti Eliȩ de Carbono, Ordinis ſancti Baſilij, Anglonenſis, ſeu nullius diœceſis in ſpiritualibus generali.

PIVS PAPA V.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum nuper non ſine magno animi noſtri dolore acceperimus, quendam Fratrem Vincentium de Armento, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, commorantem in Conuētu dictorum Fratrum Minorum Terræ, ſeu Oppidi Carboni, vel eius diſtrictus, Anglonenſis, ſeu nullius diœceſis, & in quo Oppido Abbas, ſeu Commendatarius Monaſterij ſancti Eliæ eiuſdem Oppidi, Ordinis ſancti Baſilij pro tempore exiſtens, Epiſcopalem, & temporalem iuriſdictionem habet, & exercet, dum quadam die Miſſam in Eccleſia dicti Conuētus celebraret, conſecratione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ peracta, ipſum Sacramētum Euchariſtiæ in manibus, ſeu in patena

En quoties diualibus fulminibus Anglonēſis cauſſa afflatur, mactaturque, ad internecionem litiū, diſcordiarumque.

tena accepiſſe, & conuerſum ad ibi intereſſentes, nonnullos homines dictæ Terræ ſimul conſpirantes ad ſe conuocaſſe, & ſupra dictam Sanctiſsimam Eucharistiam corporale iuramentum accepiſſe, & præſtari per dictos homines feciſſe de machinando, ſeu moliendo, ac exequendo quodam tractatu, & conſpiratione huiuſmodi inuicem habito, ac de ſe, in eiſdem tractatu, & conſpiratione vſque ad mortem, mutuo coadiuuando, & defendendo, in cuius etiam tractatus, conſpirationis, & machinationis ſecta aliquæ perſonæ etiam Eccleſiaſticæ, & Religioſæ participaſſe, ſeu interueniſſe dicuntur. Cumque valde deteſtabile videatur, vt vſus Sacramenti præfati, quod pro ſalute, & vnione fidelium cum Chriſto, inſtitutum eſt, ad communicandum in actibus, & ſceleribus huiuſmodi tam impie, & ſacrilegè conuerſus ſit, non ſine magno ſcandalo, ac ſacrilegij, & abuſus Sacramenti immanitate, vnde nequaquam ferendum ſit, vt tam nefándum ſcelus, ſeu ſacrilegium remaneat impunitum, eapropter ſtatum, & merita cauſæ, & cauſarum huiuſmodi proplene, & ſufficienter expreſsis habentes, tibi per præſentes committimus, & mandamus, vt contra prædictum Fratrem

Vincen-

Vincentium, omneſque alios prædictos, qui interfuerunt, & coniurarunt, vt præmittitur, aliaſque perſonas etiam Eccleſiaſticas, ſiue Regulares cuiuſcunque Ordinis, ſiue ſeculares quaſcunque delinquentium præfatorum complices, & fautores, etiam per inquiſitionem, ſeu ex officio, vel per denunciationem etiam ſimplicem, vel ſecretam, procedas, & inquiras, ac eos culpabiles repertos, prout iuris fuerit, punias, corrigas, & iuxta ſceleris qualitatem in eos animaduertendo coerceas, cum poteſtate prædictum Fratrem Vincentium, omneſque alios prædictos citandi, illiſque, ac quibuſuis Iudicibus, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & pecuniarijs tuo arbitrio imponendis, & applicandis poenis, inhibendi, inobedienteſque, & rebelles cenſuras; & poenas præfatas incurriſſe declarandi, & iteratis viribus aggrauandi vſque ad inuocationem brachij ſecularis incluſiue, ac tam Fratrem Vincentiũ quãalios prædictos examinandi, detinendi, carcerãdi & prout iuris fuerit, mulctandi, ſuſpendendi, deponendi, & quatenus etiam ordo iuris poſtulauerit, degradari faciendi, & Curiæ

 ſecu-

ſeculari tradendi reſpectiue, aliaque faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna, præmiſſis, ac etiam de vna, & duabus Dietis, dummodo non vltra tres, & quibuſuis alijs Apoſtolicis, nec non in vniuerſalibus, Prouincialibuſque, & Synodalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac etiam Conuentus, & Ordinis ſancti Franciſci prædictorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, legibus, priuilegijs quoque indultis, ac exemptionibus, literis Apoſtolicis, etiam eiſdem Conuentui, & Ordini ſancti Franciſci, illorumque Supereoribus, & perſonis, ac etiam alijs Fratribus mendicantibus in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis, etiam motu proprio, & conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet, etiam per nos, & quoſcunque Romanos Pontifices pradeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam, etiam plu-

ries,

ries, & iteratis vicibus conceſſis, confirmatis, innouatis, & approbatis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea, aut alias quomodolibet nuncupatis. Quibus omnibus etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua mentio, ac etiam de uerbo ad uerbum expreſsio facienda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de uerbo, ad uerbum inſererentur præſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſsis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac uice, latiſsime, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, nec non ſtylo Romanæ Curiæ, ferijs etiam generalibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum *Petrum ſub* An*nulo Piſcatoris, die prima Februarij. M.D.LXXII. Pontificatus noſtri* Anno *ſeptimo.*

Cæ. Glorierius.

Ioannes Vincentius Forcellatus qualis.

Sed dum feſtinanter conſilia, muneraque diſtribuuntur, detegitur coniuratio, ſtatimq; miſſus illuc Ioannes Vincentius Forcellatus, Commendatarij apud Gymnaſia ſodalis, intimuſque, & tunc inter primos, acri ingenio, & aduerſus inſolentes indomito, obduratoque, legali philoſophia inter raros, eximius, vt daret operam, ne impietatis virus latius emanaret, ſauciatis innocentium conſcientijs. Coniurati, cum fruſtra conſilia agitauiſſent, ceritis, furentibuſq; eorum anteſignanis Petro Antonio, & Beſiniano Damianis, dedere Forcellato manus, humi ſtrati, & veniam ſuppliciter petentes, quanquam acerbiſsima meriti, mitiori pœna puniuntur, patria eiecti, exulatum iuere, nec multo poſt, Commendatarij benignitate reuocantur, ſed Commendatarij humanitas vertitur in contemptum, atq; ludibrium apud ingratos & agreſtes. Regreſſo Neapolim Forcellato, rurſus

Ex latae ſẽtẽtiae actis Anno cIↄIↄlxxij x. Kal. Iunij. xv. Indictionis.

rurſus turbas ciere, cunctaque permiſcere cœpere, prætentis patriæ libertate, bonoque, vſurpata ſeditionum materia, & conſueto turbandæ Reipublicæ malo, nouos ſibi ſocios adſciſcunt, Hieronymum Garagnonium, Ioannem Franciſcum Martineſium, Ioannem Aloyſium Cupperum, & Carolum Ziellum, in Prouincia, nec dum in oppido omnium nequiſsimũ, & vaferrimum, & inſidiarum architectum, alioſque permultos, & ad firmandam ſocietatem à Beſiniani Principe auxilium implorant, ſe illi ſubeſſe iactantes, deferunt Proregi querelas, aduerſus Commendatarij miniſtros, mittuntque, Neapolim, qui iura patriæ, & aſſertæ libertatis, aduerſus Commendatarium tueantur, priuatorum pecunias anhelant, publicas corradunt, quæſtuoſi in negotio, & in pace obſiti inopia, cuncta conuoluunt, ægra quatientes, & Nicolaus Bernardinus Petri Antonij fi-

Ex literis ad Principem Beſiniani ſcriptis deductis in proceſſum, coram rego Conſilio. Ex ſupplicibus libellis Proregi, & Senatui porrectis Anno cIↃIↃxciv. xvij Kal. Febr. Nicolaus Bernardinus Beſiniani Princeps quãlis.

lius, Beſiniani Princeps, affatu placidiſſimus, & liberalitate longe maximus, domeſticis impellentibus, qui opes, magiſtratus, & gratiam animo hauſerant, ſuſtulit ſignum cupientibus præcipitia, diuulgatis edictis, vt Eccleſiæ ſubditi, Syneſij nundinis armati, ad cuſtodiam, ſtationemque excubarent, miſſiſque Carbonium, qui cogerent arma ferre, multa arrogantia verborum, ſine emolumento, & effectu inani, haud imbellem concertatorem aduerſus ſe expertus, pro tuenda Eccleſiæ immunitate. tumultuantibus ciuibus, ſuperuenit Ioannes Antonius Grignettus Neapolitanus, Sancti Marci Epiſcopus, illuc ad compeſcendos ſeditioſos à Commendatario præmiſſus, callidiſſimi ingenij & blandimentis verborum ad omnia compoſiti, doctrinæ non futilis, nec audaciæ minoris, altus inter litium ſtrepitus, atque in iure dicundo inter togatos, noxiorum quæſtionibus

Ex proceſſu, atque inſertis Principis ipſius literis, edictiſque.

Ioannes Antonius Grignettus Epiſcopus S. Marci, qualis.

nibus exercitus, & pro domino acriter aduerſus contumaces enitẽs, Cõmendatarij lateri, inter veteres aulicos, aſſuetus, nec contemptus, hic cõtuſis non leuiter ſeditioſis, pacem peperit reliquæ multitudini, iura præſcripſit, moderatuſque eſt, Principis conatibus honeſtiſſime eluſis, cum iura ſanctiſsima pro cœnobij tutamẽto ſpectarẽtur. Litibus ſopitis, dedere manus auctores, faſsi inſcitiam, erroremque, prolatis etiam Syngraphis, ac voluminibus, quæ interceperant, & integre Sancti Marci Epiſcopo reſtitutis. Princeps innocens, & nulla ſua culpa præcipitatus aduerſus Sancta, adulatione miniſtrorum, circumactus ſeruili iudicio, quantum liberalitate, & eloquẽtia maioribus ſuperior, tantum magnitudine animi, & ingenij inferior, orto cum vxore diſſidio, domi bellum nanciſcitur, conflatum nutritumque ſcelerata aulicorum ambitione, dum alius vxori, alius Princi-

Ex literis decurionũ pro vniuerſitate, quam vocant, ad Commendatarium. Anno ciↄiↄxxciv. iij Id. Auguſti.

Ex epiſtolis Epiſcopi S. Marci ad Cõmendatarium, & ex actis publicis Anno ciↄiↄxxc iij. Id. Octobris.

Aula fœcunda diſcordiarũ. pi fomenta diſcordiarum, irarumque miniſtrat, diſcreti lecto, menſa, redditibus, & alloquio coniuges, aula fœcunda rumorum, & inter ſe diſcordi, infeſtaq;. Pollicorij ager diuino olim cultui dicatus, faces prætulit diſcordiarum, menſæ vxoriæ attributus, iuſtiſsimo Deo Petri Antonij Principis auiditatem puniẽte, vt filius eius tanti principatus hæres nullo maleficio in Regem, atq; Rempublicam, dominio excideret, nataq; maſculi filjj ſoboles, & iam adulta, magnæ ſpei, magnæque indolis, (ciente rurſus turbas aduerſus Sanctum Monaſterium, Principali Curia, duce Carolo Ziello, cum veterum Carbonenſiũ coniuratorum reliquijs) ſubito extinguitur, non modo cum genitorum, ſed cum totius etiam regni dolore, nobiliſsimam in Italia familiam, tot Ducibus, Principibus, heroibuſque locupletiſsimam, repentino occidiſſe lamentantis, vix cineribus, oſsibuſq; integre in tumulo

Ex libellis Principi porrectis Anno cĩↄ ĩↄxciij.

Sanſeuerinatum familia nobiliſsima, & in Italia, præcipua.

lo quieſcẽtibus, etenim cum fortuito incẽdio Kal. Ian. Neapoli Ieſuitarum ędes deflagraſſet, gentile olim Sanſeuerinatis familię ſolũ, ampliſsimumq; prætorium Roberti, Antonij, reliquorumque Salernitanorum Principum domicilium, magnitudini familiæ par, extincti iuuenculi reliquiæ vix procul flamma fuere: & Principi molienti fugam, monaſterium Sancti Eliæ benigniſsime, ac tutiſsime patuit, & ab regno profectum in Vrbem, Commendatarius omni honore, & liberalitate eſt proſequutus: nec illi, aut Romæ commoranti, aut Caietæ detento, vnquam, officio, aut obſequio defuit, nulla præteritorum memoria, nõ ſine magnanimo fatẽtis hoc Principis pudore. Carolus Ziellus, dum armata manu, Sancti Eliæ nomen ſpernens volitat per Lucaniam, Miſſanellis Tyganæ dominis etiam minitans, in quos pari irarum turbine vecors incubuerat, veluti nouis inimicitijs

Nobiliſsima Ieſuitarum ædis incendiũ Anno ciↄiↄxcvi. Kal. Ianuarij.

Rerum viciſsitudo.

Humanitas Commendatarij.

Punitio coniuratorum.

gau-

gaudens, & diſsidia ex diſsidijs ferẽs, ne otioſus ſpectaretur, credereturq; ſine proximi clade, fletuque, in itinere à famulo plumbea glande appetitus occiditur, inexpiatus, & ſepultura carens, Petrus Antonius Damianus, haud procul Xiropotomo deprehenſus, ab inimicis conciſim diſcinditur, reliquis Sancti Eliæ hoſtibus, varia procella, maloque concuſsis, laruatiſque, vel ad ciuium, intuentiumque admirationem, adeo exitiale mortalibus eſt, aduerſus cælites cornua erigere, manuſque in Dei ſeruos, & bona monaſteriorum armare: neque Ioannes Paulus Amanius Anglonẽſis Epiſcopus, turbarum concitor, aduerſus iura monaſterij, iuſtæ Sancti Eliæ vltioni ſubtractus eſt, priuatas iniurias, & animi ægritudinem aduerſus Cæſarem Rogerium, excidio, atque interitu prærogatiuæ antiquiſſimi cœnobij ardenter vlciſci cupiẽs, à Nicolao Granio eius coadiutore

Ex actis in proceſſu Anno ciɔɔxciv

Ioannis Pauli Amanij exitus.

Nicolaus Granius Epiſcopus Anglonenſis.

in

in Epiſcopali munere, & ciue, haud humaniter tractatus, intra biennium ſpiritum exhalauit, valido corpore, & pręſtanti valetudine, multis virtutibus commendatus, & clarus, in recentis Commendatarij fortuna non auſus vltra perrumpere, apertoque marte iura monaſterij quatere, cuius vulneribus medendis Commendatarius intentus, fracta ſubditorum, & contra tendentium arrogantia, templum, ac Sacrarium multo ornamentorum, ac Sacræ veſtis apparatu exornat, depulſis veteribus ſordibus, atque pudendis, vel in priuata domo, nedum in templo Dei Optimi Maximi, cum Sãctiſsima Euchariſtia ligneo vaſe incluſa cerneretur, non ſine loci ignominia, & populorum perturbatione, addidit lateritios ædi gradus ligneis diſiectis, ſacram turrim decuſſam, ſimul cum veteri palatio crebris rimis fatiſcente inſtaurauit, additis cubiculis, aulaque perampla, ad normam

Beneficia monaſterio, & templo collata.

Cuncta inſtaurata.

Archi-

Cœnobiū ædificatur Architectorum, æde ipſa lateritio opere ſuffulta, monaſterium de integro ædificat, anguſtiam loci peroſus, vix quatuor cellulis in vetuſto ædificio remanentibus, cum monaſterij fabrica Commendatariorum commoditati ceſſiſſet, auctoque Monachorum numero, cuncta nõ parcè præbentur. Duo Græculi Sacerdotes, duobus cũ Diaconis templo inſeruiebant, fœdũ ludibrium tanti monaſterij, & Sacerdotalis dignitatis, Commendatarij *Auctus monachorum numerus.* ſtipe alti, atque enutriti, mercenarij, & nulla diſciplina correpti, vagi, & ignoratione litterarũ obruti, ac marceſcentes, turpi obſequio, gynecęo famulantes, ne pariete quidem interſæpti, conſepulta monaſterij ſanctitate, famaque veterum Archimandritarũ clariſsima apud omnes Populos, Regeſque, vnde animus Baronum feruenter erupit ad diripienda cœnobij bona, cæleſti metu nudatus, ob ſcandalum diſſolutæ monachorũ, ac Cõmen-

mendatarioꝝ vitæ. Acceperant namque a maioribus, terribilem viſentibus impijs locum illum fuiſſe, vel corporibus immundo ſpiritu agitatis, ad aſpectum ſacræ ædis ſubito liberatis, quod hodie quoque in dies fieri videmus, & equos procubuiſſe in genua, excuſsis ſeſſoribus, in venerationis ſignum, cæleſti ira non raro punitis Sancti Loci inuaſoribus, ſimul & crebra micuiſſe fulmina, ambientia templum, nullo accolarum contacto, & bonorum monaſterij occupatoribus ſæpe nocentia, & quid mirum? an Sancti Magni Prophetę Elię igneſcentem zelum, expiataſq; regijs funeribus minas, voceſq; terrarũ Orbis obliuioni mãdarat? ſed defecere miracula, poſtquã bonus odor miniſtrorũ euanuit, & degeneratũ eſt a ſanctitate maiorum. Nos faces, nos tela in noſmetipſos comportamus, vitijs contaminati, & Eccleſiaſtica bona inhoneſte abligurientes, & aditu patefacto,

Prodigia ob loci sãctitatem

Ex Meneorum libris & ex vetuſtiſsima traditione

adyta

Barones inſatiati adyta templorum Baronibus, in direptionẽ ſacrorum bonorum, reſeramus, nulla præda ſatiatis, ſaturandiſque. Hiante ore aſtant lacerantes fortunas vaxallorũ, & immani furore cõſternati ſacros redditus ſitiũt, expulſuri, (ſi per vires liceret) ex animis mortalium omnem diuinitatem, bonos, & vere pios Vatiniano pluſquam odio auerſantes, mimis dediti, ac Paraſitis, nouiſque vectigalium vocabulis exultantes, talium monſtratores veluti e cœlo delapſos complectuntur, prædarum appetentiſſimi, & noua titulorum dignitate prætumidi, quantum Regio Fiſco pretij exoluunt, tantum, & geminato plus, ex rapinis, & cruore Vaxallorum aceruant, truces oculos circumferentes, cum graui ſupercilio. Obliuione deletum eſt, illud Alexandri Mammeæ ſapientiſſimi, longeque omnium Cæſarum moderatiſſimi, non vulgare dictum. Qui emit, neceſſe eſt, vt

Barones nouis vectigalibus ouantes.

Barones Titulorũ emptores ſubditorũ expilatores, vexatoreſque.

Alexãdri Mammeæ dictum.

vendat, & noſtri iſti Barones vendunt animas, non modo corpora Vaxallorum, omni ſeruitio obnoxia, quod eſſet tolerandum, cum miſeros omni rapacitate, & impietate vexatos in deſperationem ſalutis cōpellunt. Veriſsime igitur Salomon Regum ſapientiſsimus decantauit, propter peccata terræ, multiplices in ea dominatus, ecce ad extremum malorum deuentum eſt, bellum inteſtinum gerimus, tuti ab externo hoſte, vi, opibuſque Auſtrianæ Familiæ in orbe maximę, cum Baronibus quotidiana prælia exercemus, renouatis Neronibus, Decijs, Valerianis, Diocletianiſque, ac reliquis naſcentis Eccleſiæ perſequutoribus, veluti ab inferis excitis, & fortaſſe mitioribus, cum hi non cupiditate prędarum, ſed cauſſa Deorum, ſacrorumque fabuloſę aſſertę Religionis, quæ à noſtris oppugnabatur, in Chriſtianos ferrum acuerint, atque vibrarint,

Salomonis ſententia.

Barones Eccleſiaſticis infeſti.

Boni Barones mortalibus ſalutares. rint,tot millibus trucidatis, at Barones,(bonos ſemper excipio,quos non modo ſibi,póſteriſque glorioſos, verum proximo, bonorum operum fulgore prælucentes,ſummopere ſalutares exiſtimo)crudeliora patrarēt, molirēturq; ni legibus imperioq; Philippi Regū maximi vetarentur, cū & ipſi licet inuiti, fremēteſq; ſentiant regiū imperiū, atq; horreāt minaces faſces, ſtrictamque in malefactorum necē, regiam ſecurim,atque legum indagine clauſi tanquam ferę belluę, horrendum barriant, maximo, & iuſtiſsimo Rege, infrę̄natas illorum cupiditates,ac proximo detrimentoſas, mucrone iuſtitiæ iugulante; quem Deus Optimus,Maximus,maioribus, patri, auoque, pietate ſimillimum plura in æua ſeruet incolumem, atq; victorem,pace noſtra in æternum firmata. Poſt materiale ędificium amplificatum, aut de integro erectum, ſumptu non paruo, & labore, attribuun-

Baronum audacia frenata.

Philippi iq. laus

buuntur Monachis certi redditus, ac perpetui ad vitam ſuſtentandam, menſas vulgo dicimus, nulla Commẽdatarij ope indigentes, auctorque Pontifici Commendatarius fuit, vt hoc in omnibus cœnobijs monachorum Ordinis Sancti Baſilij ſtatueretur, non ſine fremitu, & indignatione Cõmendatariorum, vnde multorum ſubijt odium, celſarum maxime poteſtatum, quibus ratio communis for-deſcit, ſibi cuncta arrogantibus, quarumque auctoritas, ac dignitas non numquam ſine meritis, & charitate eſt, nec modus illis finitus, nec menſura. Interim iacebat in tenebris, ſordibuſque Sancti Baſilij Regula, & ignorantiæ luto oblimata, proterebatur ab omnibus, & monaſteria colluuione hominum repleta, ad ludibriũ ſpectabantur, quibus nulla pie viuendi ratio, nullus ordo, nulla inerat diſciplina, paſsim ſine rectore monachi vagabantur, tumulata tanti Ordinis

Commendatarij ægre ferunt abſciſſionẽ reddituũ, propter mẽſas Monachorũ.

Baſiliana diſciplinæ clades, & ſordes.

dignitate, Sanctiſsimorumque patrũ memoria, nec Græce, cum Græco ritu ſacra fierent, diſtincte legere, non ſcribere, confuſis ſæpe myſterijs, & ſenſibus errantes, crudele diſciplinæ naufragium, luctuoſiſsima clades, & certus occaſus antiquiſsimæ normæ; à Sanctiſsimo, & doctiſsimo patre præſcriptæ, ac tot per ſecula duratæ, cum tanta morum grauitate, ſanctitateque vitæ, & tanta Chriſtiani populi dignitate: iamq; illamentata, tẽdenſque ad inferos haudquaquam ab interitu reuocari, non ſtrata erigi, nec fulciebatur nutans, atque prolabens, cum paſſim ad eam, ſi quid vitalis ſpiritus inerat, exanimandam, trucidandamque, rapiendorum ſpoliorum gratia, concurreretur. Ergo *Scripta Apologia.* ſcriptis Apologijs luculentitiſſimis, atque in Hiſpanias ad Philippum glorioſæ memoriæ, tranſmiſſis, iam exſterminare Baſilianos parantẽ, fœde degeneres, & maculoſos, defenditur

inno-

innocens, & male protecta Regula Sancti Baſilij, quod maxime optarant Beſſarion Trapezuntinus Cardinalis, ex Sancti Baſilij diſciplina, Grçcorum clariſſimus, fama diſciplinarum, & pietatis, & Guilelmus Cardinalis Syrletus multæ doctrinç, atque innocentię, Baſilianæ diſciplinæ, atque Ordinis Protectores, datur Ordini rector, generaliſque Magiſter, certis temporum interuallis, conſenſu cunctorum eligendus, ſeueris legibus, ne forte diffluerct denuo, euincitur, valloque veteris rigoris munitur, decernitur, vt tribus in locis, quaſi ſanctitatis Domicilijs, Meſſanæ in Sancti Saluatoris, Traynæ in Sancti Michaelis & Tuſculi, in Cryptæ ferratæ cœnobijs, pubes educaretur, veteris diſciplinæ lacte nutriẽda, auulſis ac radicitus ex ſtirpatis prauæ cõſuetudinis moribus & apud ſenes coalitis, extat Clemẽtis VIII. ampliſsimum, ornatiſsimumque diploma, quo faxit Deus, vt be-

Beſſarion Nicænus. & Guilelmus Syrletus Cardinales ordinis Sancti Baſilij Protectores.

Tria domicilia nouitatis.

P a ne, &

ne, & ſalubriter vtantur, renouatis vetuſtæ ſanctitatis exemplis, & doctrinarum gloria latiſsime propagata, Fundatoris magnitudini non impare.

FINIS.

Imprimatur.

Fr. Angelus *Baronius Venetus Mag.& ſocius Reueren. Domini* Sacri *Palatij Ord.Prædic.*

Alexander Torallius Lycienſis I.C. iuſſu Reuerendiſsimi Magiſtri Sacri Palatij accurate, cogitateq; legi hanc Monaſterij Carbonenſis Hiſtoriam, teſtorq. nihil in ea contineri, quod non ſummam auctoris eruditionem, ſummamq. prudentiam redoleat, nihil quod non cum probitate morum, religione, ac pietate Chriſtiana conueniat.

ERRA-

ERRATA.

Pag.12.lin.1.adde.in cultum.
Pag.33.lin.3.Sæueræ corrige ſeuera. eadẽ pag.lin.7.miſi.cor.miti.Pag.42.lin. 23, Hacatompylos.cor. Hecatompylos.
Pag.68.lin.19. adde. Data in Vrbe Panormi,per manum Malonis magni Ammiranti Ammirantorum. Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto, Menſe Octobris, Indictionis tertiæ,Regni vero Domini Guglielmi Dei Gratia Magnifici, & glorioſiſsimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Anno quarto,feliciter Amen.
Pag.80.lin.20.rugo.cor. iugo.
Pag.116.lin.1.Carbori.cor.Carboni.
Pag.125.lin.1.prædem.cor.prædam
Pag.147.lin.30.eu.cor.ſeu.
Pag.148.lin.11.radicicem.cor. radicem.
Pag.149.lin.15.inuiolablie.cor.inuiolabile
Pag.155.lin.3.eum.cor.cum.
Pag.160.lin.21.luctoſiſsimum.cor.luctuoſiſsimum.
Pag.164.lin.8. Sacrarum. cor. Sacrorum.
Pa.173.lin.11. Monaſtedij.cor.Monaſterij
Pag.205.lin.11.nefarius cor.nefarium.
Pag.206.lin.4.auimarum cor.animarum.
Pag 209.lin.23.viribus.cor.vicibus.
Pa.210.li.19.ſupere oribus cor.ſupioribus

REGESTVM

ABCDEFGHIKLMNO.

Omnia ſunt integra folia, præter P. quæ eſt dimidiato folio.

R O M AE,

Apud Guglielmum Facciottum.
M. D C I.

Digitized by Google